DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CONSENSIONE PARTIUM IN CORPORE SANO ET MORBOSO.

QUAM,

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOACHIMI SCHWARTZII,
JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS ET ANTECESSORIS
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*

& Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

PAULUS JACOBUS VALCKENAER,
Leovardia Friſius.

Ad diem 31. *Octobris* 1749. *Hora locoque ſolito.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC, 1749.

ERUDITISSIMO VIRO,

JUSTO SCHELLINGER,

M. D.

ARTIS MEDENDI SCIENTISSIMO,

AMICO PATERNO,

Hanc Diſſertationem
dedicat

PAULUS JACOBUS VALCKENAER.

PROOEMIUM.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

PAULUS JACOBUS VALCKENAER.

Quum tantum nitoris acceperit a multis excultus Medicinae campus, ut ejus nulla fere pars fuerit relicta, in qua non elaboraverint ſaltem Viri Doctiſſimi, fateor mihi eveniſſe, quod paſſim accidere ſolet ſpecimen Academicum paraturis Juvenibus. Dubius ſcilicet haerebam, in quanam materia tenues ingenii vires periclitarer. Tandem praecipuas late patentis ſcientiae partes perſcrutanti talis videbatur eligenda, quae minus haberet taedii, & in qua tractanda aliquid ſaltem proferri a me poſſet, quo meam quantulamcunque diligentiam peritis in arte Medica viris commen-

mendarem. Huic ſcopo videbatur mihi poſſe inſervire materia de Conſenſione partium Corporis Humani, quam conſenſionem pro ſua quisque hypotheſi, & placitis, quibus ſe addixerat, multi diverſiſſimis ſaepe cauſis adſcripſerunt, talibus nonnunquam, quae effectis ipſis ſint obſcuriores. Materiae hujus jucunditas cum utilitate maxima eſt conjuncta. Partibus & membris amice conſpirantibus, rite peraguntur functiones corporis & mentis: turbata conſenſione iſta mutua, vel male affecta, non tantum functiones iſtae turbantur, ſed & morbi ſaepe oriuntur graves & periculoſi. Ex hoc fonte cauſae morborum, quae penitus abſconditae videbantur, ſaepiſſime poterunt deduci. Effectus e mutua partium harmonia in corpore ortos, qui rite cognoverit, maximum inde percipiet fructum Practicus, non in dignoſcendis tantum morbis quibusdam, ſed in eorum curatione feliciter inſtituenda. Hujus rei veritatem eorum exemplum ſatis adfirmat, qui conſenſu iſto minus perſpecto, vel etiam illum vilipendentes, malis per ſympathiam productis, infauſto plerumque omine mederi conantur per Topica, aut alia nihil profutura medicamina. Iſta enim mala tollere ſemper irrito conatu nitentur, niſi prius origo malorum & radix in parte affecta fuerit exſtirpata; quod neminem negaturum confido.

Ex

Ex iis, quae dicta ſunt, unicuique conſtare poterit, hanc de conſenſu partium jucundiſſimam materiam multo majorem habere uſum, quam prima ſpecie forſan alicui videri poſſet. In illa levi hac opera illuſtranda, quod aliorum veſtigia fuerim ſecutus, & obſervata Doctiorum adhibuerim, nemo rerum aequus aeſtimator juveni mihi vitio vertet. Ne ſummis quidem viris fuit dedecori, quod ab aliis congeſtas obſervationes in ſuum uſum converterint, in concinnum ordinem digeſtas.

Hic mihi praecipuus eſt ſcopus in hac diſſertatione, ut pro ingenii modulo exponam effecta & phaenomena, quae per obſervationes fuerint detecta ex partium conſenſu, quaeque apparent ſive in corporis humani ſtatu ſano ſeu morboſo, ac ſecundum conſtantes naturae leges eundem fere ſemper ſervant progreſſum atque ordinem. De obſcuris phaenomenorum iſtorum cauſis inveſtigandis non ero ſollicitus; quas nullis ratiociniis aut experimentis aſſequi valemus. Ut in plerisque rebus Naturalibus, ſic in hac etiam parte, rerum cauſae homines latent, quibus certos fines poſuit Sapientiſſimus Univerſi Creator, quos transgredi conceſſum non eſt. Millena ſunt, quorum cum exiſtentiam nemo vocat in dubium, ſic rationem reddere ſufficientem homini non licet. Sane cum Cicerone fatendum,

 cog-

cognitionem omnem humanam multis eſſe obſtructam difficultatibus.

Caeterum, ſi quis forte de Doctioribus leget hanc diſſertationem, in perituris chartis erranti juveni veniam pro humanitate concedere dignabitur; & in materia non admodum trita exponenda verſantis voluntatem ſaltem laudabit.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CONSENSIONE PARTIUM IN CORPORE SANO ET MORBOSO.

CAPUT PRIMUM.

De Nervis, eorumque Fabrica, Uſu, & agendi Modo.

§. I.

Quemadmodum totus hujus Univerſi ordo, rerumque, quas continet, elegantia & ornatus magnam partem dependent a motu, ita quoque artificioſiſſima partium Corporis Humani ſtructura non ſolum, ſed & motus, quo ſingulae demum munia ſua rite perficiunt, quamplurimum ad ejus complementum, ornatum, ac vitae corporeae conſervationem conferre videtur. Huic autem motui in univerſis corporis partibus perficiendo & ſuſtentando, inprimis inſerviunt Nervi, proprie ſic dicti; De quorum natura,

uſu, ac operandi modo, pauca praefanda videbantur, antequam de Conſenſu dicere aggrederer.

§. II. Non autem hic ſub *Nervorum* nomine complector tendines, membranas, vel ligamenta, quae νεύρων & τόνων appellatione frequenter deſignarunt *Hippocrates* (*a*), aliique Graeci Medici veteres, quos ſequutus Latiniſſimus *Celſus* (*b*), qui *Nervi* vocabulum latiſſimo interdum ſenſu ſumſit, praeter partes iſtas e plurimis nervis conſtantes, vel ex iis productas, ipſos muſculos quoque, nec non vaſa ſanguifera, iſto ſaepe vocabulo ſignificans. Ego etenim hodie receptum inter Medicos vocis uſum ſequor, & per Nervos intelligo tantum partes iſtas corporis humani organicas, oblongas, albas, e cerebri medulla productas, & inde per univerſum corpus diſperſas. Quarum partium, quae in origine ſua molles, ſenſim decurſu ſuo paulum fiunt duriores, ſingulae, quibus conſtant, fibrillae, propriis ſuis includuntur membranis, quae fibrillae deinde, ſive fiſtulae, membrana exteriori ac communi in unum colliguntur faſciculum. Jam vero primarium horum nervorum munus conſtituere ſolent Medici, ſenſui motuique, mediante liquido in fiſtulis ſuis contento, inſervire. Non tamen omnino adfirmare auſim, omnes, quotquot adſunt in corpore nervi, duobus tantum hiſce muniis eſſe deſtinatos, alium quippe uſum nervis nonnullis eſſe adſignandum, oculatis non videbitur incongruum.

§. III. Quisquis enim ſolida aeque ac fluida, quotquot in corpore noſtro reperiuntur, attentis perluſtraverit oculis, ad certos fines & uſus ſingula quaevis a Sapientiſſimo Creatore eſſe deſtinata, facile fatebitur, adeo ut etiam minutiſſima quaeque ſymbolam ſuam conferre debeant ad rite perficiendas admirandae hujus machinae functiones. Futilem enim eorum opinionem arbitror, qui ſupervacanea quaedam in corpore oſtendi poſſe autumant.

Li-

(*a*) Conſuli hic poterit Foëſii *Oeconomia Hippocratis*, in Vocibus Νεῦρον & Τόνοι, ubi multa adfert Hippocratis loca, unde lucide apparet, latiſſimo ſenſu has voces a Magno Sene fuiſſe uſurpatas.

(*b*) E multis Celſi locis citare tantum lubet Lib. V. Cap. 26. Lib. VII. Cap. 18. nec non Lib. VIII. Cap. 1. In poſterioribus hiſce locis ipſos quoque Muſculos Cremaſteres, & Arterias Carotides *Nervorum* appellatione deſignat.

Licet autem id tuto poſſit adfirmari, non tamen inde rite colligeremus, ad omnes, quos organa iſta praeſtant, uſus inveſtigandos, ingenii humani ſufficere acumen. In hunc usque diem ſub judice lis eſt, cuinam uſui nonnullae partes inſerviant. In talium numerum jure merito referre licet nervos quosdam, per Ventriculum inprimis ac Inteſtina diſtributos, nec non ad Meſenterium, ejusque glandulas, tendentes: Nervi enim his in partibus nimis adſunt copioſi, quam ut eos omnes motui & ſenſui (quod primarium eſſe nervorum officium ſupra (§. 2.) dicebam) tantum eſſe dicatos exiſtimaremus, quibus perficiendis tot nervi non videntur requiri.

§. IV. Quum nihilominus & hiſce certus uſus eſſet adſignandus, Summus *Boërhavius* (*c*), aliique in eam valde probabilem inciderunt opinionem, ut exiſtimarent, nervos Ventriculi & Inteſtinorum liquidum ſuum hiſce viſceribus infundere per oſcula aperta; certe liquidi nervei, aeque ac aliorum fluidorum, e vaſis ſuis concedi exitum (*conf. infra* §. 33.) exiſtimat Doctiſſimus *Williſius* (*d*), & poſt illum firmiſſimis ratiociniis probavit *Boerhavius* (*e*). Idem quoque uſus videtur nervorum copioſorum qui Meſenterium adeunt, ejusque glandulas, quos, cum neque ad ſenſum neque ad motum deſtinati videantur, liquidum ſuum chylo immiſcere, ut tenuior is evaderet, & cruditatem ſuam magis magisque deponeret, Docti viri itidem ſuſpicantur (*f*).

§. V. De liquidi autem nervei (§. 2. 4.) praeſentia non amplius mihi videtur dubitandum; dari quippe tale liquidum Medici cordatiores omnes (ſi *Stahlianos* forſan exceperimus) hodie confitentur. Verumtamen de modo, quo, iſto mediante fluido, nervi ſenſus

(*c*) *Inſtit. Med.* §. 77. & 92. & in iſtas *Praelect.* Ejus *Acad.* ex editione Halleri. T. I. p. 265. & 370. Ex quo fonte, id, quod leviter tantum attigi, manifeſtius hauriri poterit. Conſuli etiam merentur hac de re J. C. Peyeri *Parerga Anatomica & Medica* Exerc. I. p. 28.

(*d*) *De Febribus* Cap. I. p. 73. *Cerebri Anatome* Cap. XX. p. 103. & alibi paſſim.

(*e*) Haller. *Praelect. Boerhav. in Inſt.* T. II. p. 623. & ſeqq. §. 292. & 293.

(*f*) Confer iterum *Praelect. Boerhav.* T. I. p. 566. §. 120.

ſus motusque animales abſolvant, etiamnum diffident Medici. Multi enim, de ejus viribus & praeſtantia nimis detrahentes, nervos tenſione agere opinati ſunt, quemadmodum chordae Muſicorum, vel ut metalla, aliave corpora elaſtica & ſonora, quorum unam extremitatem ſi modo leviter ferias, caeteras omnes talis corporis partes tremula vibratione inde concuti, notum eſt. Illi etenim, ex hac analogia ratiocinantes, nervos pari ratione menti communicare motum, iis, ab objectis, a quibus afficiuntur, impreſſum, ſtatuebant. Talem propemodum ſententiam jam ab antiquiſſimis temporibus Sapientum mentes ſubiiſſe, patet ex opinione *Pythagorae*, qui & ipſe per tenſionem omnia rite in corpore peragi opinabatur. Ab eorum opinione, qui ita ſentiunt, non longe quoque recedere mihi videntur viri Eruditisſimi *Baglivius* & *Pacchionus*, nec non Doctiſſimus *Rega*, qui, licet fluidum nerveum admittant, pleroſque tamen effectus, nervorum ope exſertos, illorum tunicis, vel & ipſis membranis, & inde exortae repercuſſioni tribuunt, exigua ſatis memorati ſucci habita ratione.

§. VI. Si vero in nervorum tantummodo inquiramus ſubſtantiam, eorum inprimis, quos ſenſui exercendo deſtinavit Natura, hos, primo ſtatim intuitu, laxos inveniemus ac molles. Quae ſola etiam conſideratio ſententiae eorum officit, qui nervos unice tenſione agere, ac vi elaſtica membranarum ſuarum (§. 5.) corporum ſenſibilium impreſſiones, continuato motu, ad Senſorium Commune transmittere ſtatuerunt. Minus enim rationi videtur conſentaneum, nec corporum mollium natura patitur, ut crederemus, nervos plurimarum partium teneros & molles, eodem modo vires ſuas exſerere, quo corpora tenſa & duriora motum ſibi impreſſum continuare, viciniſque imprimere novimus. Praeterea, ſi tali pacto agerent nervi, etiamſi comprimerentur, id tamen nihil impediret, quo minus corporum impreſſiones in Cerebrum usque continuarentur. Quod experientiae eſſe contrarium, experimenta aeque, quam phaenomena, in nervorum vulneribus, aliisve affectionibus, apparentia, ſatis evincunt.

§. VII. Sed neque membranarum, aliarumque partium nervo

voſorum, efficacia ſilentio eſt praetereunda: quum enim candide agere mihi ſit animus, nequaquam eſt diffitendum, membranas etiam validiſſimas exſerere poſſe vires, easdemque tenſas & irritatas in vehementiſſimos ſpaſmos & tremores poſſe agi; quo enim vehementius renitantur corpora tam forti elatere praedita, eo quoque fortius iſta, ſibi relicta, in priſtinam ſedem & figuram reſilire, validiusque repercutere, ex regulis motus eſt notiſſimum. Ob quam membranarum tenſionem, delicatiorem quoque adeſſe ſentiendi facultatem in nervorum tubulis, in earum ſuperficie explicatis, credendum eſt, ſiquidem a nervorum, hic ſitorum, vehementiore concuſſione, ſuccus nerveus vehementius quoque verſus nervorum originem repellatur.

Nec mirum eſt ſenſum alicubi in membrana, tunicave nervea, perceptum, ſeſe facillimo negotio per totam partium iſtarum ſubſtantiam diffundere poſſe: quum enim ex Phyſiologicis conſtet, has partes e cerebri membranis maximam partem eſſe productas, ac plurimis praeterea nervis ſenſus exquiſitiſſimi refertas, facile inde concludi poterit, eosdem propemodum in illis produci poſſe effectus, ac iisdem malis eas eſſe obnoxias, ac nervi in abſtracto conſiderati; quod in ſequentibus, exemplis in medium prolatis, paulo accuratius exponam. Quinimo membranas tendinum & muſculorum in morbis nonnullis, in quibus conſenſus obtinet, evidentius affici quam nervos ipſos aſſerit Summus *Boerhavius* (*g*). Ex hac etiam origine eſt deducenda ratio, cur tam ſaevis diſcrucientur doloribus homines morbis nonnullis articulorum, Arthritide v. g. vel Podagra adflicti, illi enim ſaepe ne minimum ferre queunt attactum, quin ilico in tremores dolorificos agitetur tenſum perioſteum, aliaeve partes nervoſae ac membranaceae, his in morbis potiſſimum affectae.

§. VIII. Ex his omnibus (§. 7.) rite conſideratis colligere non dubitabo, ambas has cauſas, impreſſionem nimirum in ſubſtantiam propriam nervorum (ſub qua liquidum nerveum omnino comprehendo), ac membranarum per plures corporis partes continuatarum elaſticitatem, concurrere, ad affectiones, in partibus membranoſis vel tendinoſis obvias, in cerebrum usque propagandas. Id vero tutius adfirmare audeo, quoniam mihi in hac opi-

(*g*) In *Praelect. Acad. in Inſt.* T. II. p. 579. §. 282.

opinione jam praeiverit Vir Praeſtantiſſimus *Gerardus van Swieten* (*b*), qui idem fere, etſi dubitanter, in duraturis ſuis Commentariis proponere videtur.

Hac occaſione cogitare coepi, quod in transcurſu monendum videbatur, an inde etiam non ſit repetenda ratio, cur Veteres, dum in membranis, tendinibus, ligamentis, tunicisque nerveis eadem fere contingere animadvertebant, quae nervis ipſis accidunt, iſtas partes omnes, communi interdum *Nervorum* (§. 2.) nomine deſignaverint.

§. IX. Prouti autem nervi inſtrumenta ſunt ad ſenſum motumque peragendum omnino neceſſaria, ſic etiam hi, ut obeundis his muniis pares fiant, requiruntur omnibus numeris bene diſpoſiti, ſi enim nervus ad partem aliquam tendens intercipiatur, vel & vehementius laedatur, tum quoque facultas, qua pars talis ad agendum pollet, nonnunquam turbatur, vel & in totum aboletur. Vel ſic tamen duae aliae cauſae ſimul conſpirare debent, ut ad munia, quibus dicati ſunt, abſolvenda, apti evadant. Ἐνορμῶν ſcilicet, motum in nervis imprimens, impreſſumque continuans, uti fuſe demonſtrat Praeſtantiſſimus *Kaauius* (*i*). Ac praeterea, libera cerebri, late ſumti, cum nervis, per totum corpus diſperſis, communicatio. Hujus enim nobiliſſimi viſceris interventu ſenſationes in Communi Senſorio excitari, tuto adfirmare licet, quoniam absque cerebri auxilio, nulla in nervis ipſis, aut & in eorum extremitatibus videtur adeſſe, aut excitari poſſe ſenſatio, partesque movendi potentia. Quod evidenter patebit, ſi modo animum attenderimus ad ea, quae contingere videmus quando nervorum origo immediate in functionibus ſuis fuerit laeſa, tum etenim (quamvis ſenſuum organa fuerint omnis vitii expertia), aliquando evenire ſolet, ut mens nullam, ab objectis externis, ſenſationis concipiat notionem. Ejusdem aſſerti veritatem, quae multis poſſet exemplis probari, praeterea in clara luce ponunt phaenomena quae apparent, quando nervus, per partem quandam corporis primariam diſtributus, fuerit compreſſus. In tali etenim parte levis primo oriri ſolet moleſtia, cui

(*b*) In Commentar. ad *Aphor. Pract.* Boerhav. T. I. p. 300. §. 183.

(*i*) Vide de hoc themate elegantiſſimum Ejusdem librum, quo *Impetum faciens dictum Hippocrati* illuſtrat. p. 160. §. 193. & alibi paſſim.

cui ſtupor & inſenſibilitas frequenter ſuccedit; ſi vero cauſa comprimens tollatur, nervus miniſteriis ſuis obeundis rurſus fiet idoneus. Si autem nervi prorſus abſcindantur, omnem ſenſum motumque ilico deleri videbimus, inprimis in parte infra abſciſſionis locum ſita (*k*). Qualis tamen pars, ſi in ipſis nervis ſenſus motusque haereret cauſa, diriſſimam certe tum temporis perciperet doloris ſenſationem. Ubi autem nervi abſciſſi fibrilla quaedam remanſerit illaeſa, tum titillationis quidam ſenſus non raro remanere ſuevit, aut ſaltem majus temporis ſpatium requiritur, antequam ſentiendi movendique facultas in tali parte prorſus deleatur; quemadmodum patet exemplis Anatomicorum a Clariſſimo *Hallero* (*l*) allatis.

§. X. Ex ſuperiore Paragrapho liquet, non ſenſus tantum, ſed & motus quoque cauſam in cerebro haerere, compreſſo enim v. g. cerebro, ac inde liquidi nervei in nervos motui dicatos impedito influxu; energia & motus muſculorum, quos actionibus voluntariis peragendis deſtinavit Natura, ilico etiam ceſſabunt, adeo ut illi animae imperio prorſus fiant immorigeri. Idem obtinet quando cerebellum, vel medulla oblongata, comprimitur, his etenim compreſſis vel male affectis, quae ab eorum integritate pendent actiones vitales, itidem deleri vel turbari ſequitur, ut ex Phyſiologicis, nec non e multis, quae apud Autores proſtant, exemplis, eſt notiſſimum. Quin & compreſſionem verticis, morbis nonnullis, in partibus vitalibus obviis, levamen attuliſſe docet, adeoque & dicta haec pulchre affirmat, *Baglivii* obſervatio (*m*), quam attuliſſe non inutile erit. Refert Is, ſe cognoviſſe vetulam ſeptuagenariam, diro Aſthmate cum Tuſſi continua laborantem: haec quoties ambabus manibus fortiter comprimebat verticem capitis, toties ceſſabant ſtatim, quamdiu durabat compreſſio, & Aſthma, & Tuſſis catarrhoſa; ſtatim vero ac manus auferebat, iidem morbi denuo redibant, & ſi pluries in die id faceret, pluries in die eadem accidebant. Quod autem mala haecce ceſſaverint iſto tempore quo ver-

(*k*) Boerhav. *Aphor. Pract.* 162.

(*l*) In *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. II. V. p. 283.

(*m*) De *Fibra Motrice.* Lib. I. Cap. p. 135. N°. *a.* ad §. 189.

vertex comprimeretur, inde fieri exiſtimat *Baglivius*, quia hac ratione tono & robore durae matri addito, melius dirigerentur liquidorum motus in partibus inferioribus. Mihi vero, ſi quid auguror, ἀταξία ſpirituum anſam potiſſimum his malis dediſſe videtur. Ut adeo hi affectus preſſionis tempore mitiores facti fuerint, ab influxu ſpirituum, alias forſan vehementi nimis impetu in partes haſce vitales irruentium, tum temporis ob compreſſum verticem impedito.

§. XI. Caeterum, quando nervi, ſenſui peragendo dicati (§. 2.), diſtrahuntur, nonnullae eorum fibrillae, aliis relictis integris, rumpuntur, vel ſi alia quacunque de cauſa, externa illa ſit ſive interna, nervus quidam ſentiens vehementius afficiatur, ita ut diſſolutioni ſit proximus, tum moleſta talis impreſſio a nervi extremitate ad ejus originem in cerebrum transfertur, & in mente *doloris* ideam excitat. Quum vero conſtet, univerſas propemodum totius corporis partes ſenſuum nervis eſſe inſtructas, dolorem quoque in omni fere parte adeſſe, & imperium ſuum per univerſum ſolidorum ſyſtema exſerere poſſe, nihil eſt quod vetat. Inde ſimul colligi poteſt, eo vehementiorem in mente noſtra oriri doloris ideam, quo pars pluribus fibrillis nerveis inſtructa, pluribus etiam diſtinctis canaliculis ſenſum talem ingratum in nervorum principium transmiſerit.

§. XII. Quamvis autem e talium exemplo, qui de membrorum abſciſſorum dolore conqueruntur (*n*), primo intuitu forſan concludendum videretur, doloris ideam in mente nonnunquam poſſe excitari absque nervorum auxilio, id tamen non ita obtinere videtur. In ejusmodi enim caſibus non tantummodo ſolum cerebrum affici absque nervorum adminiculo facile concedent illi, qui noverint magnum truncum nerveum conſtare e multis diſtinctis fiſtulis in unum faſciculum, ut ita dicam, colligatis (*conf.* §. 2.). Hae autem fibrillae, quae conſtituunt ramos, quos magnus talis truncus

(*n*) Multa ejusmodi exempla paſſim in medium proferunt Medici. Prae caeteris autem egregie hujus phaenomeni rationem explicat, & exemplis confirmat Doctiſſimus Kaau, in Libro ſuo *de Impetum faciente.* p. 307. §. 367. & ſeqq. Conferri quoque merentur quae in hanc rem adnotavit Fabricius Hildanus. *Centur.* III. *Obſ.* 14. & 15.

cus aliis partibus porrigit, ab eodem trunco quaſi ſecedunt, plane aliter ac ſe habet diſtributio vaſorum ſanguiferorum. Id vero prudenti Naturae inſtituto ita factum videtur, ut ſcilicet diſtinctae fierent ſenſationes. Jam hoc caſui noſtro applicemus: ſi ex. gr. crus cuidam amputatum ſit, vel &, ſi alia primaria corporis parte truncatus quis fuerit, is nonnunquam, poſt longum temporis intervallum, eandem in digito pedis majore percipit doloris ſenſationem, quam percepiſſet, quando pars haecce, corpori adhuc adhaerens, malo quodam fuiſſet infeſtata. Cujus phaenomeni ratio videtur, quod nervulus ille, qui in ſtatu ſano ad hunc digitum fuerat emiſſus, vel ſaltem nonnullae ejus fibrillae, in trunco majore adhucdum latentes, tum temporis male affectae, imaginariam hanc doloris ideam in Senſorio Communi producant. Unde evidenter ſatis patet, doloris ſenſationem nequaquam excitari e ſolo affecto cerebro, ſed eandem omnino hiſce in caſibus nervorum ope cum Senſorio Communi communicari.

CAPUT SECUNDUM.

De Nervorum efficacia in peragendo conſenſu, ut & de conſenſionis Denominationibus & Attributis.

§. XIII. Corporis cujuscunque ſenſibilis impreſſio per nervi cujusdam extremitatem ad originem, quae illi reſpondet in cerebro, delata, in mente excitat ideam, quam, generali denominatione, *ſenſum* vocamus. Is ſenſus ſpecialis eſt & ab aliis diverſus, tam pro varia objecti externi, Senſorium afficientis, natura, quam pro parte in cerebro diſtincta, ad quam impreſſio fuit propagata. Si vero talis mutatio, per objectum aliquod externum, nervo cuidam ſentienti inducta, ejusque ope in

 ce-

cerebrum delata, puncta ſentientia vicina ſimul affecerit, ita, ut ejusdem ſenſationis idea per alios inſuper nervos in Senſorio Communi producatur, tum affectio talis proprie *conſenſus* appellatur. (*conf. infra* §. 54. 55.). Et quidem tali methodo humanam machinam conſtruxit Sapientiſſimus Deus, ut, ſi pars ejus ſenſu praedita, doloris, vel & ſimplicis tactus ſenſatione afficeretur, pars talis plurimas alias nervorum propagationes, a prima doloris ſede etiam remotiſſimas, imo & univerſum nervorum ſyſtema, tantis interdum viribus afficere valeret, ut ſenſus iſte (ſive moleſtus fuerit, ſive minus), per conſenſum in aliis partibus excitatus, nonnunquam longe ſit vehementior quam in parte cui ſenſus origo & cauſa inhaeret. Is conſenſus, etſi de ejus praeſtantia & poteſtate multum interdum ſit derogatum, ex effectibus tamen & viribus, quos in corpore exſerit, & ex influxu, quem habet in omnes, qua late patent, corporis noſtri functiones, tam evidenter ſe manifeſtat, ut aſſeverare non dubitem, omnes actiones ad ſanitatem requiſitas, mediante hoc partium conſenſu, rite demum peragi. Si enim pars quaedam, ad functionem aliquam peragendam neceſſaria, ab aliis ſimul operantibus non afficiatur, tota certe illa actio prorſus ceſſabit, vel ſaltem minus perfecte peragetur. Nec in ſtatu ſano tantum, ſed & in ſtatu morboſo, adeo *συμπνοῦν* & *σύῤῥοῦν* eſt corpus noſtrum, ut parte una morbo affecta, ſemper fere malum alias quoque partes, affectae parti conſentientes, infeſtet. Perraro etenim contingere crediderim, ut pars idiopathice tantum afficiatur.

§. XIV. Hunc autem conſenſum, quem in hac diſſertatione exponere aggrediar, quoad is ſcilicet in corporis humani partibus & membris vires ſuas exſerit, antiqui aevi Scriptoribus jam fuiſſe cognitum, ex eorum monumentis liquido conſtat. Nec tantum illi conſenſum animadverterunt in corpore humano, ſed & in omnibus Phyſicis certa quaedam conſenſio & mutua harmonia a multis retro ſeculis fuit a Naturae Speculatoribus obſervata. Pulchra ſunt, quae de hac re protulit *Cicero* (*o*), ubi *ſexcenta*, inquit, *licet proferri*, *ut diſtantium rerum cognatio naturalis appareat*. Et paulo poſt (*p*): *num etiam*, *ſi fiſſum cujusdammodi fuerit in jecore*, *lucrum*

(*o*) De *Divinatione* L. II. Cap. 14. (*p*) *Lib. cit.* Cap. 15.

crum oſtenditur ? qua ex conjunctione naturae, & quaſi concentu, atque conſenſu, quam συμπάθειαν *Graeci appellant, convenire poteſt, aut fiſſum jecoris cum lucello meo, aut meus quaeſticulus cum coelo, terra, rerumque natura ?* Quae autem plura de hac rerum Phyſicarum ſympathia apud Autores exſtant, quum erroribus utplurimum ſint referta, a ſcopo autem noſtro aliena, prorſus miſſa faciam. Praeterea conſenſus, qui ſe in corporis humani ſtatu ſano (*Cap. VI.*) & morboſo (*Cap. VII.*) manifeſtat, tanta continet phaenomena ſcitu digniſſima, & tam copioſam inſuper praebet ſcribendi materiem, ut Academicum breve ſpecimen ſcribenti plurima ſint intacta relinquenda, & ſumma tantum rerum capita videantur attingenda.

§. XV. Conſenſionem iſtam, tam in Entibus hujus Univerſi inanimatis, quam in animali Mente Rationali praedito quod vocamus Hominem, tanti fecerunt Veteres, ut *conſpirationem* hanc & *partium amicitiam* (uti illam nonnulli appellaverunt), metaphorice quoque transtulerint ad ſocietatis civilis concordiam deſignandam, ſimilis enim concentus niſi obtineat inter membra civitatum, languent illae: hinc pendet venuſtas apologi *Menenii Agrippae*, qui Orator a Patribus miſſus ad placandam Plebem, haec narraſſe fertur apud *Livium* (q): *Tempore, quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quaeri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui. Conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali quam alere eum; reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusque, diviſum pariter in venas, maturum confecto cibo ſanguinem.* Subdit *Livius*: *comparando hinc quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet irae plebis in patres flexiſſe mentes hominum.* Locum hunc egregium, quia in rem noſtram non male quadraret, hic loci Lectori ſiſtere volui, ibidem enim amicam partium con-

(q) *Hiſt. Rom.* L. II. Cap. 32.

conſpirationem, & ab ea dependentem functionum omnium (§. 13.) integritatem, quam pulcherrime illuſtrat Graviſſimus Hiſtoricus.

§. XVI. Ut vero actiones omnes & phaenomena naturalia a corpore noſtro producta, ab omni tempore perfecte fuiſſe eadem, conſtantemque & immutabilem agendi ritum obſervaſſe probabile videtur, ſic conſenſionem etiam nulli mutationi fuiſſe obnoxiam, ſed quemadmodum olim fuerit, ita & hodiedum prorſus exſtare eandem facile crediderim. Quin etiam hanc actionem, qua talem, & ex effectibus ſuis manifeſtam, priſcis Medicis innotuiſſe luculenter apparet. Hi variis Sympathiam iſtam appellationibus deſignarunt. Dum enim eadem fere in caeteris rebus Phyſicis, quae in conſenſu partium corporis, accidere animadvertebant, in denominando conſenſu interdum magis reſpexiſſe videntur ad translationes e rerum phaenomenis deſumtas, quam ad ipſam conſenſionis naturam. Quidam reſpexerunt ad conſenſum mutuum, quem inter alias res diſtantes adeſſe, ab antiquis temporibus in hunc usque diem fuit creditum (§. 14.). Hoc reſpectu paſſim generaliori appellatione dicebatur Veteribus συμπάθεια, συναίσθησις. Latinis: *compaſſio*, *conſenſus*, *conſpiratio*, *conſortium*, *communicatio*, *commercium*. Alii, denominationibus e mutuo amicitiae nexu translatis, adhibuerunt vocabula *cognationis*, *confoederationis*, *ſocietatis*, *amicitiae*; ſic actio haecce *Hippocrati* (*r*) dicitur ἀδελφίξιη. *Plinius* (*s*) *concordiae*, utitur vocabulo. Nonnulli, ut in re Muſica, in tremores agitatae inſtrumentorum chordae ſibi invicem ſonum communicant, ſic & membra corporis ſibi affectus ſuos communicare ſtatuentes (§. 5.), actionem hanc metaphorice nominarunt συμφωνίαν, ἁρμονίαν. Et *Cicero* (*t*) eam *concentum* appellat, quam alibi (*u*) etiam nominat *convenientiam*, *naturaeque conſenſum & continuationem*. *Hippocrates* (*v*) ad eandem deſignandam uſurpat quoque vocabulum ξύνοδος. *Helmontio* (*w*) dicitur *A-*

(*r*) Sect. VI. Lib. *de Articulis*. p. 823. G. (Ed. Foës.).
(*s*) *Hiſt. Nat.* Lib. XXXVII. Cap. 4.
(*t*) De *Divinatione* L. II. Cap. 14.
(*u*) De *Nat. Deor.* L. III. Cap. 11.
(*v*) Sect. III. Lib. *de Glandulis*. p. 273. lin. 23.
(*w*) In Capite, cui titulus: *Ignota Actio Regiminis*. p. 206, No. 30.

Actio Regiminis. Clariſſimus *van Swieten* conſenſus actionem appoſite paſſim vocat *imperium* vel *commercium nervorum* (*x*).

Sic una eademque res apud multos variis audit nominibus; denominationes autem diverſas, quas attigi, unicum & eundem *Actionum & Paſſionum Conſenſum* (*y*) deſignare liquido conſtat.

§. XVII. E paucis, quae huc usque de conſenſione protuli, ejusdem, variis appellationibus deſignatae (§. 16.), actio, ſic mihi deſcribi poſſe videtur, ut eſſe dicatur *illa partium & membrorum proprietas, qua in functionibus ſuis peragendis non ſolum mutuas ſibi praeſtant operas* (§. 13.), *ſed etiam qua pars quaecumque, ſenſu quodam grato vel ingrato affecta, partes inſuper alias eodem valet afficere ſenſu grato vel malo.* In hoc autem conſenſu conſtanter evenire ſolet ut membra vel organa ſibi invicem conſentiant, ſive, ut organum, quod morbo vel dolore quodam ſympathico eſt affectum, eodem jure, viciſſim quoque affectus ſympathicos producere posſit in parte, cui olim morbi vel doloris prima ſedes & origo inhaeſit. Hoc reſpectu conſenſus quodammodo congruit cum *Metaſtaſi*, quae eſt materiae morboſae ex uno in alium locum translatio; talis enim materia ex illo in corporis locum, cui prius inhaeſit, quam facillime reverti poteſt. Id quod etiam in partibus per conſenſum affectis nonnunquam evenire ſolet. Hinc evenit ſaepiſſime, ut Medici non raro morbos per conſenſum & per metaſtaſin ortos confuderint, vel ſaltem non ſatis a ſe invicem diſtinxerint, quum nihilominus in nonnullis evidenter differre videantur. Ut vero melius intelligatur utrasque has affectiones revera a ſe invicem diſcrepare, hic in exemplum adferam morborum ſympathicorum definitionem quam dat *Sennertus* (*z*): Is, *morbum*, inquit, *per conſenſum dici, qui excitatur a materia genita extra partem, in qua morbus eſt.* Sed haec definitio, mea ſaltem ſententia, aeque quadrat in morbos per materiae morbificae metaſtaſin productos, illi enim itidem a cauſa, ſeu materia, aliunde allata originem ſuam ducunt. Harum autem affectionum differentia mihi in eo po-

(*x*) Adeas inprimis Ejusdem Commentar. ad *Aph. Pract. Boerh.* T. II. p. 245. §. 650. & p. 352. §. 711.

(*y*) Rega, in Tractatu *de Sympathia* p. 1.

(*z*) *Inſtit. Med.* Lib. II. Part. I. Cap. XI. p. 334.

potiſſimum videtur ſita, quod neceſſario requiratur cauſa quaedam materialis (humores ſcilicet, utplurimum a bona craſi degenerantes) ad producendum morbum per metaſtaſin; morbus contra per conſenſum produci, & partes ſenſu praeditae a ſolo motus vitio, nulla exiſtente materia, queunt affici. Quamvis vero absque cauſa materiali conſenſus morboſus nonnunquam produci poſſit, uti id in nervorum tenſione, vulneribus partibus nervoſis inflictis, aliisque obtinet, non tamen illam actionem absque medio, vel contactu, corporeo fieri crediderim, uti *actionem* ſuam *regiminis* (§. 16.) *Helmontius* (*) ſtatuit fieri.

CAPUT TERTIUM.

De Exiſtentia conſenſionis, ejusque Viribus.

§. XVIII. Quod frequenter in ſcientiis evenire ſolet, id hic etiam contigit, ut ſcilicet a nonnullis in exceſſu, ab aliis in defectu, circa hanc partium conſenſionem fuerit peccatum. Nonnulli quosdam effectus in corpore e conſenſu protinus cenſuerunt deducendos, ſi tales eſſent effectus iſti, ut abſconditas eorum cauſas aliter explicare non valerent: quum potius iidem aliunde fuiſſent, vel e legibus mechanicis eruendi, vel ex ipſa corporis ſtructura. Contra reperti ſunt, qui in alia extrema abierint. Hi multorum effectuum, qui pendent a conſenſu, fictas rationes reddere conati ſunt. Quinimo nonnulli eo usque devenerunt, ut dari talem conſenſum prorſus negaverint, exiſtimantes hanc de conſenſu doctrinam a Veteribus ex ignorantia circulationis fluidorum tantum fuiſſe confictam, ac illam proinde per detectum ſanguinis a *Guilielmo Harvaeo* per totum corpus circuitum, penitus eſſe everſam

(*) Conf. *Locum ſupra cit.* N°. 29.

ſam (*a*); ad quam opinionem confirmandam fruſtra quoque ab iis objicitur *Hippocratis* locus (*b*), ubi ξύῤῥοια μία, inquit, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα. Haec enim verba hypotheſi meae pariter favent, quum aeque, ſi non magis, conſenſioni huic probandae conducant, quem in finem eundem hunc *Hippocratis* locum etiam produxit *Kaauius* (*c*). In his vero refutandis pluribus non opus eſt verbis, ubi tam clara rerum adſunt documenta. Sed quamvis hodiedum de nonnullis circa conſenſum capitibus disputetur, nihilominus dari talem conſenſionem inter Cordatiores Medicos convenit.

§. XIX. Fateor quidem ope inventi nobiliſſimi (§. 18.), quodque immortale nomen Autori peperit, lucem clariorem multis phaenomenis eſſe additam, inprimis illis, quae perperam a Veteribus per humorum metaſtaſin, vel conſenſum, fieri credebantur. Hi enim omnia fere, quae mediantibus fluidis in diverſis corporis partibus contingere animadvertebant, per conſenſum vel per metaſtaſin fieri promiscue dixerunt. Ejusmodi phaenomena potius ſanguinis per totum corpus motui, quam conſenſioni, eſſe adſcribenda, lubentiſſimus concedo, totam vero de conſenſu doctrinam penitus evanuiſſe neutiquam ſane crediderim. Affectiones certe plurimae tam cito interdum cum aliis corporis partibus ſe communicant, ut ſtatui nequeat, per ſanguinis, aliorumque fluidorum craſſiorum, circularem motum, conſenſionem tam brevi temporis ſpatio, inter partes, interdum longe a ſe invicem remotas, poſſe excitari, quam mediantibus nervis peragi longe videtur veroſimilius. Nec quicquam eſt cauſae, cur quis objiceret, liquidum nervorum quam lentiſſime circulum ſuum abſolvere; quum nihilominus nervorum functiones, iſtius liquidi ope (§. 2.), celerrime peragi manifeſtum ſit (*d*). Hinc illud praeterea ſequitur, ſicut caeteras nervorum functiones, ita etiam conſenſum ope iſtius ſucci multo citius poſſe excitari, quam ſi unice mediante fluidorum circulatione actio iſta perageretur.

§. XX.

(*a*) Confer Baglivium *de Fibra Motrice* Lib. I. Cap. X. p. 342.

(*b*) Sect. IV. Lib. *de Alimento*. p. 381. lin. 39.

(*c*) Lib. *de Impetum faciente* §. 419. p. 371.

(*d*) Adeas Boerh. *Inſt. Med.* §. 288. nec non Hall. *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. II. p. 604. §. citato.

§. XX. Non utar exemplis prolixis ad probandum admirabilem partium conſenſum, qui ex omnibus ſuis ſignis, & quos exſerit effectibus, ſe ipſum ſatis manifeſtat; id unice dixiſſe ſatis erit, exiſtentiam ejus ilico evidenter perſpici, ſi modo conſideraverimus phaenomena, quae contingunt è dolorifica tantum unius nervi affectione, quae certe corpus noſtrum, antea ſaniſſimum, violentiſſime perturbando, intra breviſſimum temporis ſpatium, diris convulſionibus, aliisque malis afficere valet. E quibus phaenomenis, hac ſola de cauſa ortis, conſenſus, partiumque nervoſarum & membranacearum totius corporis conjunctio, evidenter etiam eluceſcit; de qua luculentum *Hippocratis* locum adſcripſiſſe non pigebit, e Libro *de Locis in homine* (e), ubi, εἴτις, inquit, βούλεται τοῦ σώματος ἀπολαβὼν μέρος κακῶς ποιέειν τὸ σμικρότατον, πᾶν τὸ σῶμα αἰσθήσεται τὴν πεῖσιν ὁποίη ἄν τις ᾖ, διὰ τόδε, ὅτι τοῦ σώματος τὸ σμικρότατον πάντα ἔχει, ὅσα περ καὶ τὸ μέγιστον. τοῦτο δ᾽ ὁποῖον ἄν τι πάθῃ τὸ σμικρότατον ἐπαναφέρει πρὸς τὴν ὁμοεθνίην, ἕκαστον πρὸς τὴν ἑωυτοῦ, ἤν τε κακὸν, ἤν τε ἀγαθὸν ᾖ. Si illud agere liberet, plurima poſſent ex eodem *Hippocratis* libello produci, quae conſenſum egregie illuſtrant.

§. XXI. Quum vero homo nerveus *Sydenhami* ubique in corpore ſit praeſens, imo vero ne tantilla fere in toto corpore exiſtat pars, quae non ſenſus vel doloris ideam menti noſtrae imprimere valeat (§. 11.), colligere itidem poſſumus, in ubique diſperſo homine iſto nervoſo, partiumque nervoſarum ac membranacearum conjunctione (§. 20.), mutuum partium conſenſum quam facillime poſſe excitari. Egregia autem de hac membranarum continuatione protulit Doctiſſimus *Lanciſius* (f), cujus verba quaedam adponere lubet. *Quamquam certo noverimus*, dicit, *partes omnes animalium, atque ipſius etiam hominis, ſibi invicem ita cohaerere, & continuas eſſe, ut non tam agglutinari, ac ſe mutuo complecti, quam unum idemque colliquamenti principium in foecundati ovi cicatricula, ſeu unam, eandemque materiam in alias ſe, atque alias villorum, fibrarum, tunicarum, vaſculorum, viſcerum, aliorumque ſolidorum, ut vocant, membrorum formas, ſtructurasque induere: qua de re merito magnus aiebat Hippocrates: Circulo facto non invenio principium; &c.* Hinc illud praeterea intelligi

(e) Sect. IV. p. 408. lin. 25.

(f) *De Motu Cordis & Aneurysmatibus* p. 42.

ligi poteſt, quam facili methodo motus & ſpasmi inordinati, in unico nervulo excitati, per totum nervorum ſyſtema, imo & ad eorum originem usque propagari queant, quemadmodum & inde dira mala experiuntur, qui prae aliis ſyſtemate nervoſo praediti ſunt leviſſimis de cauſis irritabili.

§. XXII. Non tantum dicta haec mala (§. 21.), aliaque conſenſionis morboſae effecta, produci poterunt per cauſas corpus noſtrum ſenſu quodam vehementi & dolorifico infeſtantes (§. 20.), ſed *conſenſus* iſte *paſſionum* (§. 16.) inſuper in actum deduci poſſe videtur per cauſas quae leviores videri poſſunt, imo & tales, quae partes corporis ſenſu praeditas ita disponunt, ut gratam voluptatis perceptionem in mente noſtra excitare valeant, cujusmodi nervorum conditio inprimis locum habet in *pruritu* & *titillatione* (g). Quae etenim inde producitur voluptatis idea magnis nonnunquam aerumnis eſt ſtipata. Haec quippe in unica tantum parte ſenſibiliore excitata, totam nervorum compagem nonnunquam in conſenſum trahere valent, ut experiuntur, quibus a ſolis titillatis pedum plantis usque adeo interdum totum corpus turbatur, ut vel in ipſum animi deliquium hinc incidiſſe nonnulli memorentur. Quinetiam in quibusdam, a leviore tantummodo faucium titillatione, tantus producitur ſpirituum nervoſorum impetus, ac tam valida membranarum irritatio, ut vomitus inde excitetur. Non pauci etiam ex irritatione membranae narium, pili tantummodo ope facta, ſternutationem patiuntur. Quum vero ad has actiones perficiendas variorum certe, & a ſe invicem remotiſſimorum, organorum conſenſus requiratur & σύμπραξις, hinc eo magis adhuc diſcimus, his, aliisque, ſatis levibus de cauſis, plerarumque corporis partium conſenſionem actuoſam poſſe fieri.

§. XXIII. Quantos effectus, mediante partium plurimarum conſenſione, medicamenta quaedam vehementiora, ſola effluviorum ſuorum efficacia, in corpore noſtro exſerere valeant, ilico apparet e diris, quas producere poſſunt, generis nervoſi affectionibus, ex harum partium conſenſu unice tantummodo petendis. Quando enim medicamenta talia, particularum odoriferarum in iis conten-

(g) Haller. *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. IV. p. 11. §. 483.

tentarum miniſterio, irritant nervos fere denudatos in ſuperficie membranae *Schneiderianae*, utplurimum evenire ſolet, ut motus ſpasmodici in partibus remotiſſimis excitentur, quinimo totum fere corpus turbetur. Pro diverſa autem particularum odoriferarum, e variis corporibus exhalantium, natura, diverſa quoque videntur eſſe effecta ab iis producta. Prouti enim pharmaca nonnulla cerebrum, nervis olfactui dicatis ſatis vicinum, potiſſimum infeſtare, quin & ipſas convulſiones producere valent, ſic alia rurſus corpus noſtrum ad vomitum aut alvi ſeceſſum ſtimulant; qua vi ac efficacia inprimis gaudent Helleborus, & Radix Jalappae recenter contuſae (*h*). Helleborus praeterea, motum ventriculi perturbando, efficit, ut motus animalis in conſenſum trahatur, uti manifeſtum eſt ex ſupervenientibus convulſionibus. Quinimo ſolis medicamentorum odoriferorum effluviis Animi Deliquium produci, ac viciſſim illos, qui patiuntur Animi Deliquium, iis refici poſſe, quam notiſſimum eſt ex effectibus contrariis, a particulis odoriferis Moſchi v. g. ac Aſae Foetidae, in corporibus foeminarum hyſtericarum productis. Hinc forſan enata eſt *Rufi Ephesii* opinio (*i*), qui ſpiritus animales per nares, ex aëre inſpirato, cerebrum intrare, atque inde haec phaenomena produci credidit: cui directae in cerebrum ducenti viae omnino obſtat membrana *Schneideriana*, quae narium cavitatem undique inveſtit.

§. XXIV. Plurimum praeterea conducit haec conſenſus vis in ſanandis nonnullis (praecipue nervorum) morbis, in quorum ſedem primariam nullis aliis artis adminiculis penetrari poſſet; nam interdum remedia in remotiſſimis ab affecta parte locis applicata, adeo felici plerumque ſucceſſu nervis, per conſenſum affectis, medentur, ut non raro mali radicem, in diſſita parte haerentem, exſtirpaſſe fuerint viſa. Memorabile hanc in rem exemplum protulit *Galenus* (*k*), qui virum quemdam, qui ſenſum in tribus digitis manus amiſerat, feliciter perſanavit, remediis non in ipſis digitis, ſed ſpinae loco ap-

(*h*) Conf. *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. IV. p. 73. §. 507.
(*i*) *De Appellat. Part. Corp. Human.* (Ed. Charter.) T. VII. p. 397. E. Lib. I. Cap. 19.
(*k*) *De Loc. affect.* Lib. I. Cap. 6.

applicatis, unde digitorum nervi enaſcuntur. Talium effectuum & medicationum ſalutiferarum, quum facile poſſent exempla plurima congeri, unum iſtud nunc quidem memoraſſe ſatis erit. Niſi mutua talis nervorum praeſto fuiſſet conſenſio, irritus utique *Galeni* fuiſſet conatus, remedia ſpinae applicantis. Licet autem aeſtimare, admirandae machinae Sapientiſſimum Conditorem Deum, his aliisve ſalutaribus adminiculis, quae ex hac partium ſympathia producuntur, noxios ejusdem effectus compenſare voluiſſe.

§. XXV. Quae huc usque in medium protuli, quamvis abunde ſufficiant ad probandam conſenſus exiſtentiam, ac ejus late patentes vires monſtrandas, non tamen erit alienum verbulum addidiſſe de mutua *Mentis* & *Corporis conſenſione*, quoniam actio haecce conferre certe videtur ad unionem inter has partes, pro tempore quo vita noſtra durat, conſervandam. Arctiſſimum vero hoc, quod inter animam & corpus obtinet, commercium, in clara ſatis luce ponunt actiones corporis noſtri animales. In his etenim actionem mentis in corpus clare perſpicimus, quum non niſi ejus voluntate ac beneplacito in corpore ſano excitentur. Contra vero corpus viciſſim in mentem vires ſuas exſerere patet ex alio commercio, quod inprimis per organa ſenſuum ſuſtinetur, quorum impreſſiones diverſimode mentem afficere, variasque in illa excitare novimus ideas. Omnium autem evidentiſſime harum partium commercium ſe manifeſtat in ſtatu praeternaturali, uti liquet e mentis, corpori unitae, morboſa diatheſi, a cauſis in corpore latentibus unice inducta; quotidiana quippe docet experientia, corporis aerumnas placatum mentis ſtatum non raro turbare; quod eleganter itidem his verſibus confirmat *Lucretius* (*l*):

Quinetiam morbis in corporis avius errat
Saepe animus, dementit enim; deliraque fatur:
Interdumque gravi Lethargo fertur in altum
Aeternumque ſoporem, oculis, nutuque cadenti.

Quini-

(*l*) *De Rerum Natura* Lib. III. vſ. 464. & ſeqq.

Quinimo animi affectus a diſpoſitione generis nervoſi ac fibroſi maxime pendere, ita ut in affectibus, ubi partes nervoſae ſpasmis agitantur, mens ad terrorem, timorem, aliaque animi pathemata, leviſſima de cauſa, proclivis ſit, docet Graviſſimus *Hoffmannus* (*m*). Praeterea nonnunquam accidit, ut, qui ab ipſa nativitate rationis fuerunt expertes, capitis figuram vitiatam habeant, vel cerebri molem ſolito minorem ac tenuiorem: talem autem informem capitis figuram cauſam fuiſſe iſtiusmodi dementiae videtur veroſimilius quam ejus fuiſſe effectum. Cerebri talis tenuioris ac minoris, in adoleſcentis fatui cadavere reperti, figuram exhibet *Williſius* (*n*). Quid? quod ipſe crediderit *Hippocrates*, a leviſſimis rebus mentis impotentiam poſſe produci, & a diſtortis vel fractis corporis partibus, a mentis metropoli quam longiſſime diſſitis (*o*). Ut autem dolente corpore mens non raro turbatur, ſic mentem quoque male affectam mala cum corpore communicare notiſſimum eſt e quotidiana experientia; & monuit Clariſſimus *Johannes de Gorter*, tantum adeſſe inter animi pathemata, & motum particularem venae portarum, ac motum organi chylopoietici conſenſum, ut ipſa triſtitia & metus materiem melancholicam, & contra materia melancholica triſtitiam & metum poſſit producere (*p*). Praeterea quoque e Delirio, Animi Perturbationibus vehementioribus, quos *affectus* appellamus, arctiſſimus, qui corporis inter ac mentis affectiones exiſtit, conſenſus, evidenter apparet, illa enim placatum corporis ſtatum deturbare valent, & gravia in eo mala non raro producere (*q*). Caeterum, ex hoc corporis & mentis commercio ratio repetenda eſt, quare tam feliciter interdum ſanato corpore laeſa mentis actio emendetur. Quinimo haec ſocietas in cauſa eſt, quod mentis affectiones, aeque ac corporis, convenienti medicina nonnunquam debellentur, ut adeo vere dixerit *Lucretius* (*r*):

— — *Men-*

(*m*) *Conſultat. Medic.* Centuria I. Caſ. XCI. in Schol. ad h. l.

(*n*) *Cerebri Anatome* Cap. III. p. 20. Fig. 4.

(*o*) Sect. VI. Lib. *de Fractis.* p. 759. G.

(*p*) In *Medicina Hippocratica.* p. 717. ad L. VI. Aphor. 23.

(*q*) Conf. Baglivii *Praxeos Medicae* Lib. I. Cap. IX. p. 107. *de Fibra Motrice* Lib. I. Cap. X. p. 347. ut & *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. II. p. 443. §. 253. T. III. p. 248. §. 364.

(*r*) Lib. III. vſ. 509.

—— —— *Mentem ſanari, corpus ut aegrum,*
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus.

§. XXVI. Atque ita ex iis, quae in hoc Capite propoſui, exiſtentia hujus, partium aeque ac functionum, ſympathiae evidenter ſatis, ut credo, conſtare poterit. Totam porro hujus conſenſionis doctrinam, effectuumque in ea obviorum hiſtoriam, prout iſta hodie Medicis innoteſcit, fere crediderim e morbis corpus invadentibus rite potuiſſe detegi; plurimas quippe & admirandas in hunc uſque diem ignoraſſemus conſenſus ſpecies, niſi a Medicis, per ſedulas in morbis inſtitutas obſervationes, fuiſſent detectae. Vel ſic tamen in multis morbis conſenſiones obſervantur adeo abſconditae, ut earum vix, ac ne vix quidem, ulla reddi poſſit ratio. Quae porro ſpectant ad hanc materiam, quantum fieri poterit, breviſſime in ſequentibus exponere conabor.

CAPUT QUARTUM.

De Cauſis praecipuis, atque Origine, partium conſenſus.

§. XXVII. De Cauſa conſenſionis, ut & de Fontibus, e quibus partium ſympathia erui poſſit, diverſae proſtant variorum ſententiae. Nonnulli, licet probe perſpicerent, quam ardui eſſet res laboris, cauſas explicare a quibus quidam hujus actionis effectus penderent, ac modum, quo peragerentur, horum tamen phaenomenorum rationes reddere maluerunt plurimis difficultatibus obnoxias, quam in re obſcura explicanda gradum ſiſtere. Ne diſſertatio in nimiam molem excreſcat, nonnulla tantum perſequar ſuper hac re ſententiarum divor-

tia. Olim crediderunt plurimi, quos inter *Galenus*, quique *Galenum* ſequebantur, eminent, *per vapores malignos*, *&* *halitus*, neſcio quos, *aeſtuoſos*, produci conſenſum; hos vapores, ubicumque tandem generatos, partes alias, conſortii foedere prioribus junctas, opplere atque afficere poſſe exiſtimantes: quaſi vero hi vapores tam facile poſſent, ac tam brevi tempore, per varios vaſorum maeandros, ac anguſta viarum, in partes conſentientes transmitti. His tamen nixi fundamentis, e vaporibus acribus, e ventriculo ad cerebrum elevatis, produci in infantibus docuiſſent convulſiones, quas Recentiores rectius oriri ſtatuunt a nervis ventriculi, ab acrimonia ibidem & in inteſtinis haerente, irritatis, ac cerebrum, per conſenſum, ſpasmodice afficientibus. Alii ſtatuerunt conſenſum fieri *per transmiſſionem fluidi*, morbosque ſympathicos produci putarunt, quando materiae morboſae fieret metaſtaſis (§. 17. 19.) ex uno in alium corporis locum. Conſenſus hic, qui fit *per transmiſſionem fluidi*, idem ille videtur, qui ab aliis a *communicatione humorum* oriri dicitur. Ab hoc ſympathiae fonte ratio petitur notiſſimae conſenſionis uteri cum praecipuis corporis partibus; capite videlicet, pectore, praecordiis, ventriculo, imo & toto ſyſtemate nervoſo. Ex mutuo hoc commercio, male affecto utero, dira interdum in dictis partibus evenire poſſe pathemata, exploratiſſimum eſt. Non defuerunt etiam, qui omnem partium ſympathiam *per tenſionem* abſolvi cenſuerint. Hi autem, dum nervos, membranasque, tanquam corpora tenſa & elaſtica conſiderabant, e talium corporum attributis ratiocinantes, opinabantur motus ſpasmodicos & oſcillatorios, in quacunque parte corporis noſtri ortos, usque ad remotiſſimas quasque partes poſſe continuari: hinc ſequebatur, ſecundum eorum opinionem, nervos non ob medullarem ſui ſubſtantiam adeo acuto praeditos eſſe ſenſu, ſed ob membranas quibus involvuntur. Quid in hac opinione ſit veri, ſupra (§. 5. 6. 7.) jam exputavi, ſimul praecipuos ejus fautores enumerans.

§. XXVIII. Quoties paulo attentius inquiro in has aliasque methodos, quarum ope partium ſympathiam explicari poſſe pro ſuis quisque fundamentis & hypotheſibus cenſuerunt Medici, toties eo inclinat animus, ut credam, opiniones (§. 27.) memoratas, non tam longe a noſtra hypotheſi differre (§. 8.) ac multis quidem

fuit

fuit viſum. In inveſtigandis obſcurioribus rerum nonnullarum cauſis paſſim evenire ſolet, ut variorum ejusdem rei explicationes non adeo re ipſa, quam meris verbis a ſe invicem diſcrepent. Idem hic quoque locum habere arbitror. Neque adeo erit difficile, ſublata logomachia, quae prima ſpecie videntur a ſe invicem valde diſſitae, variorum expoſitiones, cum ea, quam tuemur, ſententia, in concordiam redigere. Id mihi duntaxat concedi velim, ut liceat enumeratos hos conſenſionis fontes conſiderare veluti cauſas remotas, dummodo cauſae conſenſionis proximae, utplurimum ſaltem, in nervis ſtatuantur.

§. XXIX. Eorum, qui *Galenum* ſequuntur, ſententia, per vapores propagatos partium produci ſympathiam ſtatuentium (§. 27.), verbis duntaxat a noſtra opinione diſcrepare mihi quidem certe videtur: nam, quod vulgo *per vapores* fieri dicitur, & affectiones, quae deſignantur nomine *vaporum adſcenſus*, *nihil aliud ſunt quam* (*Williſii* (*s*) verbis utor) *membranarum, ductuumque nervoſorum, partes, ſucceſſive in ſpasmos adactae.* Similem fere de vaporibus hisce fovere videtur opinionem, eandemque Doctorum teſtimoniis firmat Eruditiſſimus *Rega* (*t*). De ſpasmis autem iſtis membranarum, ductuumque nervoſorum oſcillationibus, quibus Autor memoratus, aliique, rectius certe, conſenſionem adſcribunt, quoniam plus ſemel egerim (§. 5. 6. 7. *&* §. 27.), hic nihil proferam. Praeterea quoque per *fluidi transmiſſionem*, vel, quod eodem redit, *humorum communicationem* (§. 27.), nullo nervorum habito reſpectu, conſenſionis ſpeciem quandam poſſe produci minime negaverim; quatenus ſcilicet per continuum fluidorum circuitum partes plurimae, quamvis a ſe invicem ſint remotiſſimae, commercium quoddam mutuum exercere valent. Verum tale commercium partium potius mihi videtur dicendus ſimplex effectus ex humorum circulatione ortus, quam verus conſenſus, uti jam ſupra (§. 19.) ſignificare me memini. Quinimo in hac ipſa conſenſionis ſpecie nervi nonnunquam omnino ſymbolam ſuam conferre videntur; nervorum enim niſi nonnullis in caſibus habeatur reſpectus, ecquis, quaeſo, rationem reddere valebit effati *Hippocratis* (*u*), ingenti Haemorrhagiae Convul-

(*s*) *De Febribus* Cap. XVI. p. 185.
(*t*) *De Sympathia* Cap. III. p. 32.
(*u*) *Aphoriſmorum* Lib. V. Aph. 3. & 4. ut & Lib. VI. Aph. 39.

vulſionem aut Singultum ſupervenire poſſe teſtantis ? *Hippocratis* autem ſententiae aſſentitur quoque *Boerhavius* (*v*). Haemorrhagia etenim, ae inde producta κενεαγγεία, eatenus tantummodo convulſionis eſt cauſa, quatenus ſanguis adhuc ſuperſtes per ſyſtema venoſum, frigore contractum, in cor deductus, ac inde vehementiſſimo impetu per vacuas cerebri arterias propulſus, inordinatum quoque & velociſſimum liquidi nervei, in muſculorum convellendorum nervos, producat influxum. Caeterum, in qua parte conveniant aliorum explicationes cum noſtra ſententia, & qua parte ab illa diſcrepent, e paucis his, ſatis, ut opinor, conſtare poterit.

§. XXX. Quas attigi, Methodos (§. 27.), ut & alias a me non recenſitas, hodie plerumque conjungere ſolent ſyſtematum Medicorum conditores, fontesque cognitos, e quibus partium ſympathiae detegi & elucidari queunt, multifariam diſtinguunt. Nonnulli jus ſympathiae triplex ſtatuerunt, nimirum τὸ ὁμογενὲς, τὸ συνεγγὺς, καὶ τὸ κοινὸν, *conſimile*, *vicinum*, & *ſocium* (*w*). Alias vulgo ſtatuitur partes aliis conſentire ob *ſubſtantiae ſimilitudinem*, *operis ſocietatem*, *viciniam*, & *vaſorum communionem*. Alii iterum, quod eodem ferme redit, quinque modis oriri poſſe conſenſum docent. Nam ſecundum horum opinionem fluit.

1°. *Ex conſenſione nervorum*, velut in ſymptomatibus quae oriuntur, quando infantum Inteſtina a vermibus infeſtantur.

2°. Oritur haec ſympathia *propter viciniam;* hac ratione Ventriculi mala facile afficiunt Hepar, Pleurae vitia communicantur cum Pulmone, &c. & vice verſa.

3°. Naſcitur *ex vaſis communibus* ; ſic v. g. Hepatis mala non diu durabunt, quin ſimul quoque Lien in malorum conſortium trahatur, quoniam Hepar Lieni exhibet vaſa.

4°. Conſenſus hicce pendet *a communicatione humorum*; ita Cutem inter ac Renes, Uterum ac Mammas, conſenſus obtinere dicitur.

5°. Denique, oritur conſenſio haec *propter ſitum decliviorem*;

hanc

(*v*) In *Aph. Pract.* 232. ubi quoque evacuationem cruoris nimiam, quae praeceſſit, inter cauſas convulſionis enumerat. Ad quem locum conferri omnino merentur Commentaria a Swieteno edita.

(*w*) Conf. Duretum *in Coacas Hippocratis.* p. 430. lin. 18. Conſuli etiam poterit hac de re Baglivius, *Praxeos Medicae* Lib. II. Cap. IX. p. 216. *de Fibra Motrice* Lib. I. Cap. X. p. 343. & 344.

hanc obtinere perhibent quando pars ſuperior laeſa, vel alias male affecta, partes inferiores, prae aliis potiſſimum, infeſtat. Hac ratione Capitis mala cum Ventriculo, Hepate, aliisque partibus ſubjacentibus, facile communicari poſſunt.

§. XXXI. Nervos tamen, parteſque nervoſas & membranaceas, conſenſionis praecipua eſſe organa; quod jam ſaepius (§. 13. 19. 20, & *ſeqq.*) innui, hodiedum, quoniam nullis partibus majore jure, ſtricte ſic dicta conſentiendi poteſtas tribui queat, ſatis apud Medicos eſt in confeſſo. Ut adeo tuto concludere liceat, iſtam ſympathiae ſpeciem, cujus cauſam nervis adſcribimus (§. 30. N°. 1.), omnibus aliis methodis (§. 27. 29.) eſſe anteponendam. Verum tamen, quanam ratione corporis noſtri partes, nervorum ope, ſecum invicem affectiones ſuas communicare valeant, non adeo facile definiri poteſt; neque etiam eſt, cur in iſta ratione inquirenda multum inſumerem operae; ſatis erit, opinor, ſi nervorum, prae caeteris partibus, in peragenda hac conſenſione excellentiam atque energiam quodammodo in clara luce poſuero.

§. XXXII. Sed ne temere poſuiſſe videar, quae praecedenti paragrapho continentur, praecipuae rationes breviter videntur indicandae, quibus nervorum, in hac actione peragenda, monſtretur efficacia. Cur itaque cenſuerim, in nervis, partibuſque nervoſis, potius quam in aliis organis, conſenſionis originem & cauſam potiſſimum eſſe quaerendam, hae rationes effecerunt.

I. Quia omnis conſenſus, ſtricte ac proprie ſic dictus, ſupponit ſenſum (§. 13.), neceſſe eſt ut ejus fundamentum atque originem ſenſuum organis, nervis puta, tribuamus.

II. Nervi ubique locorum adſunt in corpore (§. 11. 21.), ita ut vel tenuiſſima inſtrumenti pungentis acie nullam attingere valeamus ejus particulam, quin Homo iſte Nerveus *Sydenhami* (*x*) commoveatur (§. 21.), motumque ſuum per alias Hominis Nervoſi partes continuet.

III.

(*x*) Sydenhamus (*Prax. Experim.* p. 496.) quam elegantiſſime duo in corpore humano adeſſe ſupponit ſyſtemata, a ſe invicem diverſa, *Exterius* ſcilicet *Vaſculoſum*, cujus ope vita ſuſtinetur, *Interius Nerveum* e ſpiritibus conſtans, quod ſenſibus exercendis eſt dicatum. Hoc itidem *Hominis Nervei* denominatione appoſite ſatis deſignari poteſt.

III. Quia adeo admiranda evenire videmus phaenomena, a vulneribus non tantum, ſed & a ſolo nervorum teneriorum attactu (§. 22.), ut homines etiam antea ſaniſſimi, his aliisque levibus de cauſis, immani nonnunquam dolore, deliriis, convulſionibus, aliisque malis diſcrucientur, quae non raro tam diu miſeros vexant, donec mors ipſa malis finem imponat. Uti colligere licet e *Boerhavii* Aphorismis Practicis (*y*).

IV. Commercium illud ſympatheticum pendere a nervis apparebit, ſi quis ad animum revocaverit, maximam conſenſionem detegi in illis partibus, quae plurimis ſenſuum nervis ſunt inſtructae. Hinc ratio eſt repetenda, quare v. g. in morbis vel vulneribus cerebri vel cerebelli, utpote nervorum omnium originis, omnes actiones, quae a nobiliorum horum viſcerum integritate dependebant, interdum penitus aboleri deprehendamus, ut adeo jure merito dixerit *Hippocrates* (*z*): ὁ γὰρ ἐγκέφαλος διὰ τοῦτο πρῶτος αἰσθάνεται, διότι καὶ τὰ νουσήματα ἐς αὐτὸν ἐμπίπτειν φημὶ ὀξύτατα, καὶ μέγιστα, καὶ θανατωδέστατα δυσκριτώτατα τοῖσι ἀπείροισι. Magna pariter nervorum copia cauſa eſt mirae iſtius ſympathiae, quae inter Os Ventriculi ſiniſtrum ac omnes fere corporis partes intercedit, ut & ejus quae inter Ventriculum ac Cerebrum obtinet; hae quippe partes propagines accipiunt a Nervo Intercoſtali, eorum, qui in trunco corporis reperiuntur, primario; cujus e Sexto nervorum Pari ortum, ac per varias partes diſtributionem, eleganter depictum ac explicatum invenire licet in *Bartholomaei Euſtachii* Tabulis Anatomicis (*a*).

V. Idem monſtrare videtur *vomitus*, qui a cauſis fere infinitis, motum ventriculi inverſum ſat validum producere valentibus, excitari poteſt, ac plurimorum morborum, ex ſola conſenſione, eſt ſymptoma. Hujus phaenomeni ratio e multiplici conſenſione Ventriculi cum plurimis corporis noſtri partibus facile deduci poteſt.

VI. Tandem rationi conſentaneum videtur, conſenſionis energiam ſe potiſſimum manifeſtare talium organorum miniſterio, quae ſe-

(y) *Aphor.* 163. & 183. cum quibus omnino ſunt conferenda Swieteni Commentaria, qui aſſerta haecce Boerhavii exemplis in medium prolatis confirmat.

(z) Sect. III. Lib. *de Morbo Sacro* p. 310. lin. 17.

(a) Tab. XVIII. Fig. 2. ex editione B. S. Albini, Anatomicorum maximi.

ſerie continuata minimas etiam perreptant corporis noſtri particulas; vel ſic tamen Arteriae Venaeve non conſentiunt, uti evincit Clariſſimus *de Gorter* (*b*). Ita ut, his praecipue rationibus inductus, nulla organa conſenſui producendo magis eſſe idonea exiſtimem quam nervos.

§. XXXIII. Ut conſenſio in actum deducatur, mihi omnino opus eſſe videtur, ut nervi aliquo modo afficiantur, & ſenſationem quandam gratam vel moleſtam in Commune Αἰσθητήριον transmittant; illo enim intermedio omnem fieri ſympathiam evicit Praeſtantiſſimus *Kaauius* (*c*). *Cauſas* vero, quae ſenſationes tales nervorum ope animae noſtrae imprimere, atque adeo etiam conſenſionem producere, valent, liceat mihi diſtinxiſſe in *Externas* & *Internas.*

Cauſae externae mihi tales dicuntur, quae, ſive aliunde extra corpus oriantur, ſeu ſi intra corpus adſint praeſentes, externam tamen nervorum ſuperficiem ſtimulando, conſenſionem producunt. Huc refero

1°. Nervorum vulnera quaevis, nervorum puncturas & diſtractiones, imo & ſimplices, teneriorum inprimis (§. 32. III.), attactus.

2°. Omnia acrimoniarum genera, ſive ſalina fuerint, acida, vel aromatica; cujuscumque etiam generis venena, ſive nervos irritando, ſive alia vi mechanica, vix explicanda, vires ſuas in nervoſum genus exſeruerint.

3°. Talia quoque retulerim inter cauſas externas, quae non tantum ipſo contactu nervos afficiunt, ſed & quae quomodocumque, veluti ϖερχσπάδως, vires ſuas exſerunt, nervis irritatis; venena ex. gr. & medicamenta, quae potiſſimum ſpiritu ſuo rectore, vel & particularum odoriferarum effluviis, efficacia ſunt, ac illis mediantibus in nervos olfactorios, aliosve ſenſibiliores, agendo, totum corpus in conſenſum trahere valent. Hellebori recenter effoſſi vapor attractus totum corpus emovere valet, ac Radicis Jalappae recenter contuſae odor dum nauſeam creat, ad vomitum aut alvi ſeceſſum ſtimulat (*conf.* §. 23.). Sic & in quibus-

(*b*) In *Medicina Hippocratica*, p. 600. ad Lib. V. Aphor. 37.

(*c*) *Lib. ſaepius cit.* p. 172. §. 200.

busdam ſolus Tabaci fumus, per nares attractus; alvi ſeceſſum excitat. Imo & μιάσματα noxia, genus nervoſum afficiendo, Dyſenteriam interdum excitare poſſe novimus. Quinetiam vomitum in nonnullis produci poſſe conſtat ab omni motu inſolito, vectione adverſa ſcilicet, navigatione, actione in gyrum, aliisve.

Cauſae internae, quae, nervorum ope, partes diſſitas poſſint afficere, nulla etiam ſanguinis habita ratione, mihi in genere dicendae videntur.

1°. Quaevis acrimonia (*vide ſupra* N°. 2.), ut & quivis humores vitioſi, licet primo in ſanguine congeſti, nunc autem in ipſa nervorum ſubſtantia, ejusque ſucco, ſedem habentes, debitamque liquidi iſtius κρᾶσιν corrumpentcs (*d*).

2°. Nimia nervorum irritabilitas, ſpirituumque ἀταξία, ſive motus inordinatus, ex quacumque tandem cauſa ille fuerit productus.

§. XXXIV. Tam ſtupenda partium membrorumque in nonnullis hominibus obſervare licet commercia, ut, quamvis horum phaenomenorum cauſam & originem nervorum, in partes etiam remotiſſimas, adſcribamus efficaciae, magnis tum etiam premamur difficultatibus, ſi quis ſibi poſtulet deſignari nervorum propagines vel ſurculos, in quibus cauſa lateat talis conſenſionis minus uſitatae. De hujusmodi conſenſu agens *Roſinus Lentilius* (*e*), prudenter, meo judicio, *mira*, inquit, *res! quale labiis cum indice manus dextrae commercium. Si nervos dicas, eorum nullas propagines ultro citroque derivari comperio. Sin vaſa ſanguifera, manent eaedem difficul-*

(*d*) Liquidi nervoſi e vaſis ſuis concedi exitum eſt admodum probabile; idque, exemplis Medicorum prolatis, oſtendere conatus ſum ad §. 4. Triplicem autem eſſe talem exitum exiſtimat Boerhavius (vide Hall. *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. II. p. 624. §. 292.), quorum duos ſtatuit reducere ſpiritus nervoſos in circulationis ordinem. Jam vero uti liquidi nervoſi exitus videtur probabilis, ſic omnino videtur rationi conſentaneus particularum heterogenearum in ſyſtema nervoſum ingreſſus. Nam quaevis fere acrimoniae, aliaeve heterogeneae maſſae ſanguineae particulae, ſimul cum ſpiritibus, qui humorum circulationi rurſus traduntur, quique forſan una cum ſanguine arterioſo novae ſpirituum ſecretioni inſerviunt, cum eo facile in ipſum ſyſtema nervoſum deduci poſſe videntur. De hac autem ſucci nervoſi acrimonia, aliisque vitiis, vide inprimis *Williſium*, *de Febribus* Cap. I. p. 73. *de Morbis Convulſivis* Cap. VII. p. 61.

(*e*) In *Eteodromo Med. Pract.* p. 46.

cultates: praeſtat ἐπέχειν. Diriſſimi morborum nonnullorum eventus, quorum rationem e cognita fabrica partium, nemo, emunctae licet fuerit naris Medicus, explicare poterit, idem monſtrant evidentiſſime. Poſt dolores Colicos vel Iliacos, aliquot vicibus toleratos, oriri; in Colica dicta Pictonum, brachiorum Paralyſin, & ſaepe, creſcente malo, verum Marasmum artuum ſuperiorum, plus ſemel aſſerit Praeſtantiſſimus *Aphorismorum Boerhavianorum* Commentator (*f*). Quamvis enim haud ſane negaverim, & haec mala per nervorum oriri conſenſum, quam ſupra tamen attigi, reſtat difficultas: ego quidem certe fateor me ignorare, quo pacto e noto nervorum decurſu, ullisve Anatomicorum aut Phyſiologorum experimentis, explicari poſſit iſta brachiorum Paralyſis, artuumve, in Colica Pictonum, Marasmus. Concedo quidem ſecundum *Regae*, aliorumque opinionem, tolli quodammodo poſſe difficultatem, ſtatuentium in talibus, ubi manifeſta nequit inter partes conſentientes obſervari communicatio, recurrendum ad partium membranacearum continuationes, & oſcillationum propagationes (*g*). Sed ne hac quidem explicandi ratione nodum hic obvium facile ſolverent. Non enim ſatis manifeſtam membranarum continuationem exſtare novi inter partes in hoc morbo affectas. Praeterea quoque oſcillationes illae, quae per membranarum continuationes propagari dicuntur, non ſemper ita accurate explicant conſenſiones, quarum ratio e nervis in abſtracto conſideratis dari nequit.

Primum, quia membranarum, vi elaſtica praeditarum, nexus non datur inter omnes partes corporis, qui certe ubivis locorum adeſſe deberet, ſi occultioris cujusvis partium conſenſionis cauſas, talium membranarum elaſticitati & oſcillationi vellemus tribuere. Quamvis autem ſubſtantia celluloſa per univerſum corpus ſit diſtributa, hujus tamen elementa adeo tenuia & laxa ſunt, ut motus & oſcillationes tales vehementiores per illam, aeque quam per membranarum validiorum ſubſtantiam, propagari poſſe, haud tuto aſſeverari poſſit (§. 7.).

Deinde, licet plures, non omnes tamen totius corporis membranae durae matris ſunt productiones; quum tamen in eo conſti-

(*f*) In *Commentariis ſuis* T. I. p. 225. §. 156. p. 237. §. 162. T. II. p. 245. §. 650.

(*g*) In Tractatu de *Sympathia* Cap. III. p. 38.

ſtiterit praecipuum eorum ſententiae fundamentum, quod in hujus membranae oſcillatione, in ſuas per totum corpus productiones diffuſa, praecipuam ſympathiae originem eſſe quaerendam cenſuerint.

Ita opinantibus me nonnunquam libenter aſſentiri, jam ſupra (§. 7.) ſignificavi. Tunc ſcilicet praecipue, quando manifeſta conſpici poteſt partium membranacearum propagatio per iſtas partes, in quibus ſympathia obtinet: ſtupendam enim, nonnullis in caſibus, habent hae partes efficaciam, veluti evincunt phaenomena quae a leviſſima tantum narium titillatione interdum oriri deprehenduntur. Imo ſtupores artuum, maximos dolores, & totius fere corporis convulſiones, ſe in puella obſervaſſe teſtatur *Hildanus* a globulo vitreo in aurem delapſo (*h*); cujus rei ratio, quin a ſola ſenſibilitate membranae meatus auditorii repetenda ſit, neminem arbitror dubitaturum. Sed, ne plura congeram, ſatis erit obſervaſſe, plurima ſaepius in Praxi occurrere phaenomena, quorum origo & cauſa potiſſimum quaerenda ſit in hac membranarum efficacia; quod jam ante (*ibid.*) morborum nonnullorum exemplo oſtendi.

§. XXXV. Sicuti quaedam partium obſervantur commercia, quorum cauſas inveſtigare & rite exponere res eſt difficillima (§. 34.), conſenſionis tamen dantur quaedam ſpecies, quas ſecundum rationes ſupra (§. 30.) traditas, e pluribus ſympathiae fontibus deduci poſſe nonnulli teſtantur. Sic v. g. vulgo exiſtimant, conſenſum, quae Hepar inter ac Ventriculum bene vel male affectum obtinet, e duplici oriri poſſe fonte, a *partium vicinia* ſcilicet, quatenus Hepar accumbit Ventriculo, e *nervorum communione* autem, quatenus rami Sexti Nervorum Paris Ventriculo & Hepati inſeruntur. E multis hujusmodi exemplis, facile obviis apud Medicos, unicum apponam, repetitum ex *Anatomicis & Medicis Exercitationibus Paeonis & Pythagorae* (*i*), ubi mentio ſit viri cujusdam ſexagenarii, laborantis Stranguria quae Dyſenteriae ſupervenerat: ſuper quo caſu ita ratiocinatur *J. C. Peierus* (*k*). *Quod ſi ergo ſenis iſtius Inteſtinum Rectum ſimiliter affectum ſubſumamus*

(*h*) *Centur.* I. *Obſ.* 4.
(*i*) *Exercit.* XIII. p. 64.
(*k*) L. c. Sub nominibus autem *Paeonis* & *Pythagorae* deliteſcunt Viri Doctiſſimi Joh. Conr. Peierus, & Joh. Jac. Harderus.

mus, *facile patebit veſicam urinariam inde quoque potuiſſe affligi*, *propter viciniam & fibras ad cervicem ejus protenſas.* Ait porro: *ſed & admirandus ſpirituum animalium*, *nervorumque*, *conſenſus in his caſibus plurimum valet*, *ita ut ſpasmi & convulſiones unius partis corripiant identidem vicinas partes nervoſas alias. &c.* Hujuscemodi itaque Stranguria, uti aliquoties evenire ſolet, orta fuiſſe dici poteſt e *conſenſione nervorum*, & propter *viciniam* (*vid.* §. 30. N°. 1. 2.). Quam in rem veriſſime jam olim ſcripſit *Hippocrates* (*l*): τὰ ἐγγὺς καὶ τὰ κοινὰ πᾶσι παθήμασι πρῶτα καὶ μάλιστα κακοῦται. Alias etiam ſympathiae ſpecies, quae *nervorum communioni* minus commode poſſent adſcribi, plurimis modis fieri nonnulli ſtatuerunt. Exemplum tale invenire licet in ſympathia iſta Uteri ac Mammarum (§. 30. N°. 4.); haec enim organa tribus diverſis modis in conſenſum trahi poſſe tradit *Heurnius* (*m*): *Generis ſimilitudine* ſcilicet, *operis ſocietate*, & *vaſorum communione.* Et hac tamen in re quoque a nonnullis in exceſſu eſt peccatum, dum nimirum quasdam conſenſionum ſpecies pluribus ac diverſis adſcripſerint cauſis, quae uni potius ac praecipuae ſympathiae fonti, *nervorum* puta *communioni* (§. 30. 31. 32.), viderentur tribuendae.

CAPUT QUINTUM.

De conſenſus Effectibus, *tum ſalutiferis*, *tum noxiis.*

§. XXXVI. Perſaepe contingere ſolet, ut morbi nonnulli omnia artis ſalutiferae adminicula, omnesque medicamentorum eludant vires. Cauſae ſunt plurimae, quibus imputari poſſint iſti minus proſperi ſucceſſus: ſed has recenſuiſſe nec mearum eſt

(*l*) Sect. II. Lib. *de Humoribus.* p. 48. lin. 8.

(*m*) In *Commentariis in Aphor. Hippocr.* Lib. V. Aphor. 52.

eſt virium, neque hujus etiam eſt inſtituti. Suffecerit obſervaſſe, idem evenire in morbis per ſympathiam, ut ajunt, productis, quando ſcilicet talium morborum ſedem primario affectam nulla oculorum, imo nec etiam ingenii, acie detegere valent Medici. Ut autem, quantum id fieri poſſit, clara lux in ejusmodi caligine accendatur, nihil magis proficuum erit quam addiſcere nervorum praecipuorum decurſum per totum corpus, & rite perſequi eorundem diſtributiones, variasque, per partes etiam minutiſſimas, expanſionum membranacearum continuationes. Si enim ulli, horum demum organorum ſcientia Anatomica penitus inſtructi, malis hiſce, per nervorum ſympathiam, vel & aliorum vaſorum mutuas communicationes, productis, methodo tutiſſima medelam applicabunt. De commodis ex hac notitia percipiendis dicam hoc Capite. Quandoquidem autem, quae plerumque generis humani uſibus inſervit, conſenſio, nonnullos interdum noxios parit effectus, ne hi quidem prorſus videbantur a me praetermittendi.

§. XXXVII. Ex actione conſenſus multa poſſe derivari commoda ab iis qui artem tractant Medicam, verum eſt tantummodo in illis, qui nervorum decurſum, mutuumque commercium, caeterosque conſenſionis fontes (*Cap. IV.*) apertos, probe habuerint perſpectos. Ad haec qui non ſatis attenderit Medicus, plurimis in morbis (§. 36.) graviſſimos errores committat neceſſe eſt. Hanc ob rem neglectum *actionis regiminis* (§. 16.) peſſime nonnunquam poſſe cedere, non ſine ratione inculcavit *Helmontius* (*n*), *citra ejus cognitionem, nil plane eorum, quae intus in nobis obveniunt, ſciri poſſe* perhibens. At vero magnam ſatis e rite intellecta conſenſione percipere poſſumus utilitatem. Sic v. g. e nota conſenſione, quae obtinet inter partes quasdam Pectoris & vaſa Uropoietica, magnum interdum percipere poſſumus fructum in profligandis nonnullis pectoris morbis, quando nimirum Diureticis opportune fuerimus uſi; haec etenim talibus in morbis pulcherrimos non raro praeſtant effectus. Quin & ex inſigni Ventriculi, cum Capite & toto fere corpore, ſympathia, egregie vim certe doloris labefactare poterimus, quo homines, variis interdum de cauſis, cruciantur, diriſſimo. Exemplo ſit Opium. Opium ſcilicet, ejusque praepara-

ra-

(*n*) In Capite, cui titulus: *Ignota Actio Regiminis.* p. 206. N°. 28.

rata, legitima doſi in corpus ingeſta, interiori Ventriculi ſuperficiei, valde nervoſae & ſenſu acutiſſimo praeditae, applicantur, ac per conſenſum ſopire valent, ad tempus certe, moleſtos nervorum affectus, quin & acerrimum doloris ſenſum, ubicumque etiam locorum in corpore obortum. Nec multum refert, utrum Opium ingeſtum fuerit, nec ne; illud etenim, ſi tantummodo externae cutis ſuperficiei fuerit affixum, aeque ſenſus ſopire, ſomnumque producere valet. Cum enim adoleſcenti Cephalalgiae laboranti tonſor, leniendi doloris gratia, bina dederat emplaſtra temporibus applicanda, cui utrique in medio impoſita erant Opii circiter grana bina, inde eundem deliraſſe, ſenſim tamen obrepente ſomno, *Kaauius* (*o*) obſervat. Ratio autem ſalutiferorum effectuum, quos mediantibus medicamentis iſtis, praecipue Anodynis & Hypnoticis, praeſtare valemus, e nervorum commercio mihi potiſſimum videtur derivanda; adeo namque eſt eorum efficacia praeſens & ſubita, ut credi vix poſſit, illa cum fluidorum circulatione ad cerebrum deferri (§. 19.); praeſertim cum & hoc experimentis (*p*) repugnet.

§. XXXVIII. Non Opiata tantum aliaque Anodyna commoda ſaepe praebent aegrotis lenimenta, ſed & alia remedia, in primis viis haerentia, morbos, noxiosque humores, licet in remotis partibus lateant, mediante hoc conſenſu, corrigere valent & emendare. Haec remedia praecipue ſunt *Vomitoria*, quibus graviſſimos etiam morbos, a cauſa materiali in Ventriculo haerente productos, radicitus auferre valemus, quos aliis remediis vix, ac ne vix quidem, curaremus. Sordes acriores circa Ventriculi Orificium (§. 32. IV.) collectae, illiusque nervos vellicantes, nec non bilis corrupta in Ventriculo haerens, vel & venena quaedam ingeſta, Deliria, Cephalalgias, Vertigines, & Convulſiones producere valent, ex mera tantum harum partium nervoſarum cum cerebro, aliisque conſenſione: ſed ſi tantummodo ſordes hae remediis quibusdam Emeticis expurgantur, ſponte ſua enumerata mala utplurimum quoque ceſſabunt. Mediante hoc nervorum in diſſitas partes, aliosque nervos, imperio, contingit, ut feliciter interdum

(*o*) In Lib. *de Impetum faciente* p. 405. §. 436.

(*p*) Conf. *Lib. cit.* p. 401. §. 434. & ſeqq.

dum auferantur ſpasmi viſcerum abdominalium, qui toties infeſtant Hyſtericas; dum enim tantummodo nervos olfactus Hyſtericae afficiat Caſtorei, Aſae Foetidae, aliorumque foetentium virus, egregie nonnunquam ab his malis liberantur. Hinc itaque ſatis patet, his, aliisve (§. 37.) malis tuto, cito, & commode perſanandis, actionem hanc ſympathiae omnium optime monſtrare viam.

§. XXXIX. Nec ullum reſtat dubium, quin prudentiſſimo Naturae inſtituto multae corporis partes tali ſenſibilitate (§. 37. 38.) ſint donatae. Id quod in Ventriculo prae caeteris patet, quod viſcus graviſſimas quidem ob cauſas ſenſu acutiſſimo inſtruxiſſe videtur Providentia Divina. Inter quas & hanc forſan referre licebit, ut nimirum, ſi aliquando nonnulla, naturae noſtrae infeſta, in illud forent ingeſta, Ventriculus male ab iis affectus, noxia haecce breviſſima via, per vomitum ſcilicet, excutere conaretur, atque ita impediret, quo minus in maſſam ſanguineam irreperent. Quod certe metuendum magis foret, ſi, per longas Inteſtinorum ambages, ingeſta haec noxia e corpore eliminari debuiſſent; tali enim mora labem incurabilem interdum corpori inferre potuiſſent. Imo vero, ſi tantummodo noxium quoddam partibus a Ventriculo diſſitis fuerit illatum, Ventriculus, ceu omnibus imperans, ſibi ſubditas partes ab ingruentibus hoſtibus ſaepe liberabit, hunc in finem excitato vomitu per conſenſum. Ex mira hac Ventriculi ſenſibilitate *Williſio* (*q*) fortaſſis opinio enata fuit, in Stomachi tunica interiori peculiare quoddam ſenſorium, ſive tactus, ſive guſtus, a quovis alio in toto corpore diſtinctum, collocari. Dantur certe pharmaca, uti Stibium, Mercurius Vitae, Flores Antimonii, aliaque, quae, licet ore maſticata nullam exhibeant ſenſui moleſtiam, ſtomacho tamen immerſa tunicam hanc irritant vehementiſſime, & ſpasmos ilico excitant graviſſimos. Mihi vero, ſi verum dicere fas ſit, potius credibile videtur, ſenſum acutiſſimum, quo Ventriculus gaudet (§. 32. IV.), non adeo qualitate (uti *Williſio* placuit) ab aliis ſenſibus differre, ſed gradu ſenſationis tantummodo majore, ſive, ut ita dicam, quantitate.

§. XL. Nervorum commercium magnam quoque praeſtat utilita-

(*q*) *De Medicament. Operat.* Cap. III. p. 26.

tatem in operationibus quibusdam Chirurgicis, quae in corporis externa potiſſimum inſtituuntur ſuperficie. Docet enim experientia, irritabilitate quadam nervis communicantibus inducta, optime quandoque compeſci poſſe ſpasmos in locis longe remotiſſimis natos; atque inde derivari poterit ratio, propter quam in Therapeuticis adeo feliciter interdum ſuccedant Cucurbitae, Scarificationes, Veſicatoria, Uſtiones, ut & Acupuncturae Chinenſium & Japonenſium (*r*). Harum quippe operationum applicationes, nec non tota Revulſionum in morbis utiliſſima doctrina, mihi quidem in hoc mutuo conſenſu potiſſimum videtur fundata, quum non tantum humorum impetum & copiam revellendo, ſed & nervos irritando, ſanitatem reſtituant. Quin & *Hippocrates* hanc revulſionis efficaciam atque utilitatem perſpexiſſe videtur (*s*), ubi Γυναικὶ, inquit, τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλε. Quamvis Cl. *de Gorter* opinetur, hinc non adeo revulſionis utilitatem in clara luce collocari, ſed hanc cucurbitarum operationem potiſſimum tanquam mirum experimentum a Graecorum Medico fuiſſe propoſitam, ad probandum maximum inter Mammas & Uterum conſenſum (*t*).

§. XLI. Non minorem in aliis Medicae ſcientiae partibus uſum praeſtat accuratior conſenſionis notitia. Morboſae quaedam affectiones, & diverſa quidem, ſed quae primo intuitu ſimillima videri poſſunt, mala, Medicum ſaepenumero fallerent in inſtituenda morbi Diagnoſi, niſi conſenſionis ſcientia viam plerumque patefaceret tutiſſimam, qua morbos tales, qui ex propriis ſignis & characteribus cognoſci nequeunt, ab aliis, qui ejusdem fere videntur generis, diſtingueret. Diverſiſſimi generis morbi prima facie videntur ſimillimi, iſtius ſimilitudinis ratio inde frequenter petenda eſt, quod partes per conſenſum affectae iisdem inſtructae ſint nervis, vel & iisdem praeditae membranis, ac partes aliae, quarum morbos proprios mentiuntur. Niſi in dubiis ejusmodi caſibus admiranda conſenſionis effecta rite ante oculos ponantur, maximi etiam in arte Viri quam facillime in inſti-

(*r*) Conferri de iis poterit J. C. Barchuſen *Diſſert. Medic.* XVIII. *De Chinenſium Medicina* p. 333. Ut & L. Heiſteri *Inſtitut. Chirurgic.* T. II. Cap. 16. 18. & ſeqq.

(*s*) Lib. V. *Aphor.* 50.

(*t*) Vide ſis quae ad h. l. notavit in *Medicina Hippocratica* p. 625.

ſtituenda Diagnoſi aberrare poterunt; imo fere nunquam, niſi hallucinando, doloris morbique cauſam, locumque primario affectum, deſignabunt. Quae res, ut facilius intelligatur, exemplo uno alterove videtur illuſtranda. Hanc itaque ob rationem tanta opus eſſe circumſpectione crediderim ad rite determinandum, quaenam pars, in ſympathico dolore lumborum, primario fuerit affecta, vel &, quod eodem redit, in adſignanda vera iſtiusmodi doloris cauſa: ſi enim attento oculo conſideraverimus partes lumbis adjacentes, iisque adnexas, ut & nervorum magnum numerum e lumborum vertebris emergentium, facile patebit, partes iſtas diverſas lumbis vicinas, affectiones ſuas morboſas & dolores, tam ob *nervorum conſenſionem* (§. 30. N°. 1.), quam propter *partium viciniam* (§. 30. N°. 2.), quam facillime cum lumbis poſſe communicare. Hac ratione igitur dolor iſte ſympathicus lumborum produci poterit a Calculo, aliisque Renum morbis, a dolore musculorum ſpinam moventium, a male affecto Meſenterio lumbis adnexo, plurimisque aliis malis hic non recenſendis. Atque id firmant Veteres (*u*) aeque, ac Recentiores (*v*) artis Medicae Magiſtri. In diverſis utique iſtis, variisque de cauſis productis, dolorum ſpeciebus, partem potiſſimum affectam detegere, detectam autem aptioribus nemo poterit curare remediis, quam qui, peritus Anatomes, partes lumbis adjacentes & vicinas, ſigna autem & ſymptomata parti potiſſimum affectae propria, habuerit in numerato.

§. XLII. Sunt & alii morbi plurimi, qui multum habent affinitatis. Et horum quoque differentiae ac cauſae, methodo jam tradita (§. 41.), optime poterunt inveſtigari. Sic v. g. Hepatitis & Pleuritis in multis conveniunt, in utroque enim hoc morbo plurima eadem adſunt ſymptomata, propter conſentiens inprimis Diaphragma, cui Hepar una cum Pleura & Peritonaeo eſt adnexum, prouti ex Anatomicis conſtat. Notas autem characteriſticas, quibus Hepatitis a Pleuritide, ut & ab aliis lateris dextri affectionibus, di-

(*u*) De ſympathico lumborum dolore, diverſis de cauſis producto, conferri omnino merentur quae protulit Hippocrates Lib. IV. *Aphor.* 20. & 73. Lib. V. *Aphor.* 69. ut & Lib. VII. *Aphor.* 36. & in eos prae caeteris egregiae expoſitiones Doctiſſimi Gorteri.

(*v*) Conſulas Illuſtrem Hoffmannum, *Med. Rat.* T. IV. Part. II. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

diſtingui queat, determinavit vir Praeſtantiſſimus *Fridericus Hoffmannus* (*w*), qui itidem monet, in nonnullis inflammatoriis faucium affectionibus, Angina, v. g. Oeſophagum, vel & ipſum Ventriculum, ſaepiſſime ita per conſenſum affligi, ut eadem quaſi labe, eodemque vitio laborare videantur (*x*). In his, ſimilibusve morbis dignoſcendis, ſi minus attenderimus ad partium conſenſionem, facilis erit in errorem lapſus. Non raro quoque ſolet evenire, ut nulla ipſius morbi habita ratione, ſymptomata ejus praecipua, per conſenſionem producta, tanquam morbum primarium conſiderent. Hinc intelligitur, quare v. c. Affectio Nephritica a nonnullis pro febre ardente, dolore colico, aliove morbo interdum fuerit habita, quoniam febris ardens, inteſtinorum dolores, cum alvi obſtructione, vomitu, nauſea, aliisque, perſaepe doloribus, ex Calculo Renali obortis, junguntur. Caeterum, quamvis morbi nonnulli ſatis quidem dignoſcerentur, plura tamen in iis obvia phaenomena, ex ſolo ignorato nervorum decurſu, nec ſatis perſpecta conſenſus actione, a multis minus explicari potuere, quorum probabiles rationes reddidere, qui conſenſus inſtructi fuerint accurata notitia.

§. XLIII. Non in morbis duntaxat a ſe invicem dignoſcendis, ſed & in praedicendis quae in morbis ſint eventura, conducere videtur partium conſenſio. Quando etenim actuoſam fieri mutuam partium nonnullarum ſympathiam obſervant Medici, inde nonnunquam fauſtum, vel minus prosperum, morbi eventum, praeſagire norunt. Imo plures ſibi ipſis inſtantem haemorrhagiam praedicunt e dolore circa lienis regionem, quandoque etiam e palpitationis cujusdam, in eodem loco, ſenſu. Huic autem praeſagio conſenſionis quaedam ſpecies, quae inter Nares ac Hypochondria forſan obtinet, anſam dediſſe probabile videtur (*y*). Quin & *Hippocrates* (*z*) ex celebratiſſimo quod Caput inter ac ſiniſtrum Ventriculi Orificium intercedit commercio, jam olim prae-

(*w*) *Med. Rat.* T. IV. Part. I. Sect. II. Cap. VII. §. 5. 6.

(*x*) *Ibid.* Cap. IV. Obſervat. I.

(*y*) Adeas *Commentar.* Clariſſimi van Swieten T. II. p. 463. §. 741.

(*z*) Sect. II. Lib. *Praenotion.* p. 45. lin. 54. E quo libro, ut & ex libris *Praediction.* & *Coac. Praenotion.* ſententiam, hoc loco propoſitam, innumeris exemplis ſtabilire poſſem. Sed ne quid nimis!

praeſagire noverat : Ὅστις δ᾽ ἂν ἐν πυρετῷ μὴ θανατώδει φῇ τὴν κεφαλὴν ἀλγέειν, ἢ καὶ ὀρφνῶδές τι πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν φαίνεσθαι, ἢ καρδιωγμὸς τουτέῳ προσγένηται, χολώδης ἔμετος πάρεστι. ἢν δὲ καὶ ῥῖγος προσγένηται καὶ τὰ κάτω μέρη τοῦ ὑποχονδρίου ψυχρὰ ἔχῃ, καὶ θᾶσσον ἔτι ὁ ἔμετος παρέσται. Mutuam hanc partium confoederationem ſaepiſſime Divino Seni profuiſſe in praedicendo, neminem latet, qui *Hippocratem*, (vel *Hippocratis* Prognoſtica) attigerit.

§. XLIV. Quantae ſit efficaciae conſenſus in rite peragendis corporis aeque ac mentis functionibus (§. 25.), vix quisquam eſt, qui neſciat. Omnes enim hae actiones tum demum abſolvuntur, quando omnes partes quae σύμπραξιν ſuam conferre debent, in conſenſum trahuntur. Leviſſimum interdum vitium, quodque unicam tantummodo infeſtat partem, ſaepe totam actionem perturbat. Sed ea de re breviter dicendi, ſequenti capite ſubnaſcetur occaſio.

§. XLV. Hactenus id egi, ut utilitates exponerem, & effecta conſenſionis ſalutifera. Quandoquidem autem, ut ſupra (§. 36.) dicebam, malis etiam & aerumnis eadem conſenſionis actio eſt obnoxia, haec breviter itidem videbantur indicanda. Mala autem, & quidem diriſſima, mediante hac conſenſione, corpori inferri poſſe, unusquisque, credo, facile concedet, qui conſideraverit, nervos non tantummodo affici & irritari, ſed & per iſtam conſenſionem morbos ſaepenumero letales, quin & ipſam mortem, produci. Iſtam etenim Colicae flatulentae nonnunquam finem imponere diſcimus. Evenire videtur hoc malum per imperium inprimis mirabile, quod nervi per abdominalia viſcera diſperſi habent in vitales corporis functiones, docente *Swieteno* (*a*). Qui & alibi paſſim monet, exemplis hunc in finem in medium prolatis, a leviſſimo nervi vulnere, mox vicina omnia affici (§. 20. 21. & 22.), imo & interdum corpus turbari poſſe in omnibus ſuis functionibus ad mortem usque (*b*).

§. XLVI. Quemadmodum vero remedia quaedam per actionem hanc conſenſionis optimos & ſalutiferos quandoque praeſtare effectus

(*a*) In Commentar. ad *Aph. Pract. Boerh.* T. II. p. 237. §. 649.

(*b*) Conf *Lib. cit.* T. I. p. 242. 283. 297. 300. ac paſſim alibi.

ctus vidimus (§. 37. 38.), ſic contra venena quaedam per eandem miſerrimas aerumnas, nec non mortem ipſam hominibus adferunt. Hujus generis venena ſunt illa potiſſimum, quae non adeo ſanguinem inficiendo tragoedias agunt, ſed quae, nervorum potiſſimum irritatione, crudele ſuum imperium per reliquum corpus exercent (*conf.* §. 33. N°. 2.). Quamvis autem hujusmodi venena univerſa genus nervoſum quidem maxime afficiant, in eo tamen a ſe invicem differre videntur, quod horum nonnulla in has, alia rurſus in alias potius corporis partes ſpicula ſua primum transmittant. Nam

Multa meant inimica per aureis, multa per ipſas
Inſinuant nareis infeſta, atque aſpera odore:
Nec ſunt multa parum tactu vitanda, nec autem
Aſpectu fugienda, ſaporeque triſtia quae ſint. (*c*)

Malum Stomachi diſſitos procul a ſe producere morbos, ſatis notum eſt (*d*). Id tum etiam diſcimus, quando horum venenorum nonnulla in ventriculum ingeſta fuerint; illa enim diſcindendo ac erodendo non tantum immanes ſpasmos in nervoſis ventriculi tunicis producunt, ſed & hac ratione univerſum nervoſarum partium genus in conſenſum trahendo,

—— —— —— *haec eadem vis illius aeſtus,*
Relliquias vitae membris ex omnibus aufert. (*e*)

Nam ex magno ventriculi in alias partes nervoſas imperio, hiſce in caſibus inflammationes, deliria, vertigines, convulſiones, atque alia triſtiſſima naſcuntur mala (*f*).

§. XLVII. Affectiones etiam quaedam morboſae, in corpore jam praeſentes, per partium conſenſionem quandoque incrementa capiunt. Non raro obſervatur, ut ſcirrhi mammarum, quacumque tandem de cauſa nati, ceſſantibus menſtruis, creſcant & in gan-grae-

(*c*) Lucretius *De Rerum Natura* Lib. VI. vſ. 777. & ſeqq.

(*d*) Vide ſis Helmontium, in Cap. cujus inſcriptio eſt: *Sedes Animae* p. 179. N°. 32.

(*e*) Lucret. *Lib. cit.* vſ. 824. & ſeqq.

(*f*) Conf. Hoffmann. *Med. Rat.* T. IV. Part. II. Sect. II. Cap. II. §. 15.

graenam degenerent. Hoc nemo mirabitur, qui perſpexerit maximam Mammas inter & Uterum conſpirationem; cujus ſaepiſſime mentionem facit *Hippocrates*, eximie autem, ubi Ἢν τῶν μαζῶν, inquit (g), αἱ θηλαὶ, καὶ τὸ ἐρυθρὸν χλωρὸν ᾖ, νοσῶδες τὸ ἄγγος.

§. XLVIII. E dictis (§. 36—48.) non ſalutifera duntaxat & noxia conſtare poterunt conſenſionis effecta, ſed & illud praeterea patet, qnantae percipi poſſint e probe perſpectis nervorum originibus & diſtinctionibus utilitates: hinc enim dijudicandum eſt, quodnam, e multis, remedii genus malis per conſenſum productis, congruat, & cui parti debeat applicari (§. 24.). Rariſſime ſic afficitur unicum viſcus, ut nihil mali cum vicinis, quin & diſſitis, communicetur (§. 13.). Et in perſcrutandis cadaveribus non in morboſas tantum partes, ſed & in remotiſſimas, oculos immittunt Anatomici, ut omni modo nervorum, aliarumque partium conſentientium, ſtructuram & decurſum habeant exploratiſſimum.

CAPUT SEXTUM.

De mutua partium, in peragendis ſani corporis muniis, conſpiratione.

§. XLIX. Conſenſionis actio vario reſpectu conſiderari poteſt: ſicut enim in ſtatu naturali actionibus vitalibus, naturalibus, & animalibus, rite perficiendis, conſenſus & debita omnino requiritur σύμπραξις omnium organorum cuivis functioni peragendae dicatorum; ſimiliter in ſtatu morboſo par-

(g) Sect. VII. Lib. VI. *De Morb. vulg.* Sect. 5. §. 17. p. 1185.

partes quaedam male affectae, alias itidem partes in doloris, aliorumque ſymptomatum, communionem trahunt. Propterea, ni fallor, hodiedum Medici duplicem hujus ſympathiae ſpeciem conſtituunt (§. 16. 17.).

Prima illa eſt, qua ſingulae partes ſibi invicem operas praeſtant mutuas, ut rite muniis ſuis fungi poſſint in peragendis corporis actionibus (§. 13. 15.); quo reſpectu *concordantiae*, ac *commercii mutui*, vocabula appoſite interdum a nonnullis adhibentur.

Altera conſenſionis ſpecies illa eſt, qua una parte dolente vel morbis infeſtata, non raro aegrotat quoque, vel dolorem percipit, altera. Doctiſſimus *Rega* (*b*) priorem commode vocat *Conſenſum Actionum*, alteram *Conſenſum Paſſionum* (§. 16.). Quid per *Conſenſum Actionum* intelligi debeat, unico exemplo ſatis erit indicaſſe.

§. L. Eam facultatem Sapientiſſimus Opifex Deus machinae corporeae conceſſit, ut ſingula ejus organa non tantum ad ſanitatem praeſentem conſervandam (§. 13.), ſed & ad amiſſam eandem recuperandam (§. 39.), ſymbolam ſuam conferre poſſint. Haec vis in mutua conſenſione vel commercio conſiſtere videtur (§. 49.). Non ſufficit, ut organa cuidam actioni dicata, rite ſint fabrefacta, ſed praeterea ad conſervandam & exercendam talem actionem omnino etiam requiritur, ut ſingula, quadam *συμπράξει*, ſibi invicem opitulentur (§. 44.). Exemplo ſit reſpiratio: partes diverſiſſimas, & valde remotas a ſe invicem, reſpirationi novimus inſervire. Tum demum bene ſuccedit reſpiratio, ubi ipſi pulmones, cor una cum arteriis venisque, coſtae, diaphragma, varii muſculi tam reſpirationi vitali, quam voluntati obnoxiae inſervientes, aliaque longe plura, omnibus numeris bene fuerint diſpoſita, ſibique dilatando, comprimendo, movendo, mutuam praeſtiterint operam. Quamprimum autem, quodcumque tandem vel leviſſimum vitium, unicam tantum harum partium occupaverit;

(*b*) Lib. *de Sympathia* pag. 1. Duplicem autem hanc conſenſionem, denominatione *conſenſus Actionum & Paſſionum* a *Williſio* jam quoque inſignitam fuiſſe video. Conf. Ejus *Deſcriptionem & uſum nervorum* Cap. XXIV. p. 125. Vide & omnino de duplici hac ſympathia Praeſtantiſſimi Kaauii Tractatum *ſaepius. cit.* §. 187. & ſeqq., qui ex profeſſo nonnulla collegit exempla, his clara luce affundendis apprime idonea.

rit, quae ab earum omnium integerrima conſenſione pendet, facillime impeditur, reſpiratio. Quod in reſpiratione, idem in laeſione partium, aliis functionibus inſervientium, locum habet.

§. LI. Aſt vero generalior adhuc, quam mox (§. 50.) recenſita, obtinere videtur ſympathia. Quoniam etenim veritati conſentaneum videtur, ut organi cujusvis functiones pendere ſtatuamus a rite peractis miniſteriis omnium partium, tali organo dicatarum, hinc colligere licebit, praeter conſenſionem partium in peragendis muniis vitae neceſſariis, aliam inſuper exiſtere conſenſus ſpeciem, qua ſcilicet diverſae quoque functiones mutuum exercere deprehenduntur commercium. Ex arcto hoc inter partes corporis viventis nexu credo profluere methodum, qua ex actionis cujusdam ſtatu alterius conditio determinari queat. Hinc certe ratio mihi praecipua pendere videtur ſignorum, e quibus colligimus an partes quaedam primariae vitiatae fuerint, nec ne: ſigna enim haec potiſſimum deſumuntur ex laeſis functionibus. Ita v. gr. functio animalis laeſa cerebrum, vitalitas laeſa cerebellum, digeſtio, vel functio naturalis, laeſa, ventriculum, plerumque ſe male habere indicant. Praeterea hinc quoque fit, ut ex pulſu arteriarum, non tantum variam arteriae conditionem, ſed & in ea contenti liquoris κρᾶσιν, imo & cordis ipſius ſtatum, determinare poſſimus (*i*). Similiter ex urina egregie deprehendimus κρᾶσιν & actionem viſcerum coctioni inprimis inſervientium, quoniam iſtarum partium actionibus perfectionem ſuam inprimis debet hoc excrementum.

§. LII. Quando partes quaedam, quibuslibet functionibus peragendis dicatae, idiopathice afficiuntur, tum per ſympathiam quoque totum *actionum* harum partium *conſenſum* perturbari, quin & tolli poſſe, jam ſaepius (§. 44. 50.) indicavi. Sed ne quidem opus eſt ad delendas functiones, ut partes, iis conſervandis dicatae, male afficiantur. Infinitae etenim ſunt cauſae aliae, quibus mediantibus omnes fere functiones naturales, vitales, & animales, adeoque ſimul totus, qua late patet, *actionum conſenſus* depravari poſſit. Cauſis his adnumerare licet omnes violentas nervoſi generis affectiones, e quacumque cauſa productas, quaevis ve-

(*i*) Vide Magni Boerhavii *Inſt. Med.* §. 958.

venena, quasvis acrimoniarum ſpecies, alia etiam, quae recenſuiſſe neceſſe non eſt. Quin & organa primaria, malis infeſtata, eadem cum corporis functionibus quam ſaepiſſime communicant. Os ex. gr. ſiniſtrum Ventriculi male affectum, non tantum functionem animalem & naturalem in conſenſum trahit, ſed & ſyncopas, animi deliquia, aliaque mala inferendo, ipſam facultatem vitalem perturbat. Interdum enim

Sanguis abit: mentemque calor corpusque reliquit: (*k*)

Ex affecto ſolo hoc ventriculi ore. Functiones omnes fere animales itidem per conſenſionem aliarum partium quam ſaepiſſime ceſſant. Iſtarum impotentiam elegantiſſime *Virgilius* (*l*) expingit:

——— ——— *avidos extendere curſus*
Velle videmur, & in mediis conatibus aegri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba ſequuntur.

Egregium tale vocis ſuppreſſae exemplum in puella quadam accidiſſe refert *Nicolaus Tulpius* (*m*), Vir Ampliſſimus. Haec ſi aliquando vel minimum proferre tentaret verbum, contremiſcere ilico videbantur omnes artus; concitari abdomen; perturbari ſpiritus; quin in conſenſum trahi pleraque omnia membra, quibus ſurculos ſuos impertiunt rami ſexti paris. Imo vero omnes propemodum actiones vitales, naturales, animales ſimul, quam facillime nonnunquam poſſe depravari, evincunt, quae e ſanguine menſtruo, in virginibus accumulato ac retento, ſaepiſſime oriuntur mala (*n*). Alia, quae huc ſpectant, ad caput ſequens commodius poterunt referri.

(*k*) Ovidius *Heroid. Epiſt.* XIV. vſ. 37.
(*l*) *Aeneid.* Lib. XII. vſ. 909. & ſeqq.
(*m*) *Obſerv. Medic.* Lib. I. Obſ. 40.
(*n*) Confer Boerh. *Aph. Pract.* 1285.

CAPUT SEPTIMUM.

De conſenſu partium in ſtatu praeternaturali.

§. LIII. Jam ſuperius (*Cap: VI.*) duplicem dicebam dari partium conſenſionem; alteram ſcilicet *Actionum*, quae ſine detrimento ſanitatis deeſſe nequit; alteram *Paſſionum.* Haec locum reperit quando naturalis corporis ſanitas eſt labefactata, ſive quum pars quaedam, dolore vel malo quopiam tentata, partes alias, cum quibus ſympathiae foedere jungitur, in doloris malive trahit communionem. Hanc *paſſionum conſenſionem* pro viribus exiguis hoc Capite tractaturus, ſumma tantum rerum capita attingam, illa etiam omiſſurus, quorum jam ante hic illic oblata occaſione commemini. Si quis forte Lectorum plenius hanc materiam cognoſcere deſiderat, huic auctor ſum, ut Doctiſſimi *Regae* de Sympathia libellum, & elegantiſſimum ſaepiusque laudatum *Kaauii* tractatum in conſilium adhibeat.

§. LIV. *Paſſionum conſenſus* (§. 53.) duplici ratione poterit conſiderari (*conf.* §. 13.). *Primum*, quatenus partes quaedam dolentes, alias quoque partes in conſenſum trahere, easque pariter moleſta illa doloris ſenſatione afficere valent, absque alterius affectus complicatione. *Deinde*, haec conſenſus actio latiori etiam ſenſu ſumi poteſt, quatenus nimirum non tantum ſimplex ſenſus doloris, ſed & morbi quoque, ſive ſibi invicem conſentientes, ſive hi partibus in conſenſum tractis proprii fuerint, ejus ope producuntur.

§. LV. Prior Conſenſus (§. 54. N°. 1.), qui ſtricto ſenſu ſumitur, obtinere dicitur in dolore illo per diſtantiam, quem Belgae commode vocamus de Weer-pyn. Is in actum deducitur, quan-

quando gravioris cujusdam moleſtiae ſenſus, mediante nervo ſentiente in Senſorium Commune tranſmiſſus, puncta ſentientia, dolenti proxima (licet haec aliis, interdum diverſiſſimis, nervis fuerint deſtinata), doloris pariter ſenſatione afficit. Inde enim fit, ut eadem plerumque in Senſorio Communi naſcatur doloris idea, quae locum haberet, quando nervi hi conſentientes revera & primario afficerentur (*o*). Quinimo haec doloris retorſio in alios nervos vehementiorem nonnunquam excitat iſtius ſenſationis ideam, quam dolor qui primo fuit obortus. Prouti id quotidie experimur: non raro enim, ab adliſo v. g. cubito, graviorem in extremis digitorum percipimus moleſtiam, quam in ipſo loco primario affecto.

§. LVI. Alterius conſenſionis (§. 54. N°. 2.) miniſterio morbi producuntur, qui *σὺν ἑτέρῳ πάσχειν Galeno* (*p*), vulgo etiam *per conſenſum* fieri, vel & *ſympathici*, dicuntur, ſive, quorum cauſa formalis, ut ita dicam, non inhaeret parti affectae, ſed aliunde adfertur (§. 17.). Hac ratione Paralyſes, Epilepſiae, Convulſiones, Deliria, Cephalalgiae, Vertigines, aliaeque plurimae nervorum affectiones, non ſemper ipſi cerebro inſident, ſed quam ſaepiſſime horum malorum ſedes in aliis partibus eſt quaerenda. His, ſimilibusve morbis, ſaepe tentari novimus infantes, deducendis e conſenſu qui *Cerebrum* inter ac *Primas Vias* obtinet. Dum enim conſenſus hic e quacumque acrimonia, vel & vermibus, nervoſas has partes vellicantibus, actuoſus ſit, aequabilis cerebri circulatio non tantum turbatur, ſed & ſympathica illa nervoſae familiae mala quam facillime producuntur. Caeterum, frequenter accidit, ut a dolore in unica interdum parte excitato, non tantummodo univerſum ſyſtema nerveum turbetur, ſed & fluida, in vaſis ſanguiferis prope nervos decurrentia, diverſimode ab irritationibus, & motibus nervorum ſpasmodicis, afficiantur. Unde iterum magnum nervorum per totum corpus apparet imperium, ac inde deducenda foecunda morborum ſympathicorum ſcaturigo.

§. LVII. Veteres autem idem ac Recentiores de hac ſenſiſſe con-

(*o*) Conf. Kaauii Lib. *de Impetum faciente* p. 277. §. 347.

(*p*) Vide Galenum *de Loc. affect.* Lib. I. Cap. 6. (Ed. Charter.) T. VII. p. 394. D.

conſenſione, qua partis unius dolor cum aliis communicatur, multis poſſet adfirmari. Quanta ſit doloris vis in toto corpore turbando elegantiſſimis verbis indicavit *Maximus Tyrius* (*q*), ubi ἕτερον, inquit, ἐστὶν ὀδύνης γένος, ἐπειδὰν μέρον μὲν ᾖ τὸ τὴν αἰτίαν ἔχον καὶ τὴν πηγὴν τοῦ νοσήματος, ὁρμηθὲν δὲ ἐντεῦθεν τὸ δεινὸν, συνελκύσῃ τε καὶ συνεπισπάσηται τῇ ὀδύνῃ καὶ τὸ ἄλλο σῶμα πᾶν. καὶ ἔστιν οὕτω δή τις ὀξύτατος ὁ τοῦ ἀλγεῖν δρόμος ἐπὶ τὸ ὑγιαῖνον ἀπὸ τοῦ κάμνοντος, ὡς μάθοις ἂν τῷ προσπταίσματι ἄκρῳ τῷ ποδί. ἐκ γὰρ ὀνύχων, φασὶν, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὸ ἀλγεινὸν ἐν ἀκαρεῖ θεῖ. Eodem reſpicit, figurata locutione, *Paulus* Apoſtolus (*r*): Καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη· εἴτε δοξάζεται ἓν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη. Clariſſimis verbis conſenſionis in producendis morbis potentiam deſignavit quoque *Auſonius* (*s*), his verſibus:

Sic pars aegra hominis trahit ad contagia ſanum
Corpus, &, exigui quamvis diſcrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.

Haec pauca de multis ſufficient.

§. LVIII. Quando conſenſionem morboſam in genere attigi, ſpecialiora nunc quaedam ejus phaenomena ſunt enumeranda. Quod ut rite fiat

Primo, praecipuas corporis partes indicabo, quae prae caeteris ſemper inter ſe conſentiunt.

Deinde ea tantum recenſebo conſenſionis effecta, quae conſtanter in Praxi obſervantur.

Tandem, morbos attingam, organis, in conſenſum tractis, proprios.

§. LIX. Ordiar a Capite, cujus partis nobiliſſimae late patet cum caeteris commercium. Quum Cerebrum ſenſus motusque fons ſit & ſcaturigo, a cerebri ſanitate plurima pendent. Veriſſima quippe comperimus quae de *Capitis* commercio cum *Univer-*

(*q*) *Serm.* XVIII. p. 105. & 106. (Ed. Heinſ.).

(*r*) *Epiſt.* I. ad *Corinth.* Cap. XII. vſ. 26.

(*s*) *Epiſt.* III. ad *Paulinum* p. 126.

verſo Corpore in medium protulit *Seneca*: *A capite* (inquit Ille) *bona valetudo. Inde omnia vegeta ſunt atque erecta, aut languore demiſſa, prout animus eorum viget aut marcet* (*t*). Quia autem faciliſſima eſt & mutua τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν πεφυκότων ſympathia, hinc fit, ut aegrotante vel laeſo Encephalo, non ſubditae tantum partes leviſſima de cauſa turbentur, &, mediante ſyſtemate nervoſo, in malorum conſortium trahantur, ſed & ſaepe mors ipſa acceleretur.

Inſtituti mei ratio poſtulat, ut accuratius tractem hunc cerebri cum aliis partibus conſenſum.

Evidentiſſimum ilico ſe nobis ſiſtit commercium inter *Cerebrum* & *Oculos*. Hi autem non tantummodo mediantibus membranis nervisque cum cerebro conſentiunt, ſed mutuum horum commercium in *ſocietatis* & *vicinitatis* (§. 30.) *jure* etiam eſt fundatum. Quotidiana docet experientia, quam facile cerebrum mala ſua cum oculis communicet, & hi viciſſim, male affecti, cerebrum trahant in doloris ſocietatem. Quinimo ex hoc oculorum & cerebri conſenſu, plurimis in locis, horum organorum ſtatum ſanum vel morboſum judicavit *Hippocrates*, quorum unicum hic ſiſtere lubet. Praedicit itaque (*u*): Ἐν πυρετῷ καυσώδει ἤχων περισταμένων μετ' ἀμβλυωσμοῦ, καὶ κατὰ τὰς ῥῖνας προσελθόντος βάρεος, ἐξίστανται μελαγχολικῶς. Non cum cerebro tantum, ſed maximum quoque inter oculos, aliasque corporis partes, obtinet commercium. Sic v. g. conſenſus inter *Oculos* & *Ventriculum* in actum deducitur a cacochylia in ventriculo haerente, inde enim non raro tenebricoſa excitatur vertigo: ac viciſſim *Ventriculum* ab *Oculis* affici, patet e vomitu, interdum producto a ſolo conſpectu rerum in gyrum actarum (*v*). Inter *Oculos Naresque* dari pariter commercium quoddam, patet e caecitate fugace, multorum dierum Sternutationibus, in Hyſtericis ſuperveniente (*w*). Manifeſta quoque *unum* inter ac *alterum oculum* conſpicitur conſenſio:

Καὶ

(*t*) *De Clementia* Lib. II. Cap. 2.

(*u*) Sect. II. Lib. I. *Praedict.* §. 18. p. 68.

(*v*) Conſuli poteſt hac de re Cl. de Gorter *in Medicina Hippocratica.* p. 394. ad Lib. IV. Aphor. 17.

(*w*) Vide Haller. *in Praelect. Boerh. ad Inſt.* T. IV. p. 86. Nº. gg.

Καὶ γὰρ δεξιὸν ὄμμα κακούμενον, ὄμματι λαιῷ
Πολλάκι τοὺς ἰδίους ἀντιδίδωσι πόνους. (*x*)

Datur etiam conſenſus inter *Oculos* ac *Univerſum Corpus*, unde & ex oculorum craſi totius corporis conditionem determinat Medicus Cous (*y*), haec ſcribens: *ὧν τὰ ὄμματα μὴ ἔῤῥωται, ὁ θάνατος ἐν τάχει.* & alibi (*z*) : *ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτω καὶ γυῖον.* Atque haec quidem hactenus de Oculorum conſenſione.

§. LX. Mutuum quoque Commercium exerceri inter *Encephalon* & *Organa Olfactus* (§. 23.), & *Auditus* (§. 34.), jam ſupra indicavi. Manifeſtam praeterea, ac valde inſignem, experimur adeſſe conſenſionem *Cerebrum* inter ac *Ventriculum*, ejusque *Orificium ſuperius.* Ex hac conſenſione fit, ut tam evidenter haec organa ſecum invicem affectiones ſuas communicent. Laeſo enim cerebro, nauſeam ſequi, bilisque vomitum, tam notum eſt quam quod notiſſimum. Nec tantum mutuum hoc commercium in actum deducitur a corporis, ſed & a nonnullis affectionibus animi, Ira ſcilicet, Dolore, Moerore, aliisque (*conf.* §. 25.); qui enim his, ſimilibusve, infeſtantur, ventriculi morbis, uti nauſea, vomitu, &c. potiſſimum laborare ſolent, monentibus Doctiſſimis Viris *Swieteno* (*a*), & *Baglivio* (*b*). Ex hoc Cerebri & Ventriculi commercio intelligi itidem poteſt, quare ex parciori ſpirituum, coctioni inſervientium, in ventriculi nervos, influxu, & ipſa ſtudia quoque debitam ventriculi digeſtionem impediant. Hinc *Celſus* (*c*): *At imbecillis ſtomacho (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi literarum ſunt) obſervatio major neceſſaria eſt.* Plurimae praeterea *partes aliae* cum *cerebro* conſentiunt, uti ſunt v. gr. *Renes*, *Uterus*, *Teſtes*, &c. Sed de harum partium cum hoc, aliisque organis, conſenſione, mihi adhuc in ſpecie in ſequentibus quaedam ſuperſunt dicenda.

§. LXI.

(*x*) Incertus Lib. I. *Antholog.* Cap. XLVI. Epigr. 9.

(*y*) Sect. VII. Lib. II. *de Morb. vulg.* Sect. 6. §. 2. p. 1053.

(*z*) Sect. VII. Lib. VI. *de Morb. vulg.* Sect. 4. §. 26. p. 1181.

(*a*) In *Commentar.* T. II. p. 222.

(*b*) *Praxeos Medicae* Lib. I. Cap. XIV. §. 3. p. 149. Conferri quoque poterit Williſius de *Medicament. Operat.* Cap. II. p. 12.

(*c*) De *Medicina* Lib. I. Cap. 2.

§. LXI. Liceat hic loci adhuc attingere commercium quoddam, quod inter *Encephalon* ac *Diaphragma* intercedere evincunt mala, quae partes hae nonnunquam ſibi invicem communicaſſe viſae ſunt. Experientia docuit, e dolore, inflammatione, vel & vulneribus, parti praecipue nervoſae diaphragmatis illatis, mentis ortam alienationem. Sympathicam hanc Phrenitidem, ab inflammatione ſepti transverſi productam, eximie confirmat *Hippocrates* (*d*), dicens: Φρενίτιδες δὲ γίνονται καὶ ἐξ ἑτέρων νούσων. πάσχουσι δὲ τάδε, τὰς φρένας ἀλγέουσιν, ὥστε μὴ ἐᾶσαι ἂν ἅψασθαι. καὶ πῦρ ἔχει. καὶ ἔκφρονές εἰσι. Ratio autem, ob quam diaphragmatis morbi potius cerebro & menti conſentiant, quam multae aliarum partium affectiones, e nervis forſan eſt repetenda, quos pars haec accipit e pari 2°, 3°, & 4°. cervicali. Sympathiam obtinere inter *Diaphragma*, ac *Faciei partes*, discimus e praeternaturali quadam affectione, qua muſculi maxillares inprimis in convulſiones aguntur. Haec affectio Riſus ſpeciem prae ſe fert; quamobrem & apud multos Auctores *Spasmi Cynici*, ſeu potius *Riſus Sardonii* (*e*) vel *Convulſorii*, nomine occurrit. Involuntarius talis Riſus a plurimis cauſis, hic non memorandis, produci poteſt. Mihi indicaſſe ſufficiet, eundem nonnunquam oriri e percuſſo, nec non inflammato, diaphragmate; quin & e mera titillatione circa coſtas & diaphragma inſtituta. Ordinatus enim ſpirituum motus, ob quamcumque ſenſationem moleſtam ibidem loci perturbatus, ad ſuperiores partes facile recurrere, ibidemque motus ſpasmodicos producere poterit. Cujus rei veritas inde clare liquet, quod mirum iſtud phaenomenon tunc praecipue evenire videatur, quando Nervi Intercoſtalis ramuli, per diaphragma quoque diſſeminati, & cum ipſo Nervo Phrenico communicantes, quacumque de cauſa irritantur vel laeduntur. Quum etenim Nervus hicce Intercoſtalis ramificationes ſuas in externas faciei partes itidem dispergat, hae, ſpasmodice affectae, (lege συμ-

(*d*) Sect. V. Lib. III. *de Morbis* p. 490. lin. 9.

(*e*) Riſus Sardonius ab herba quadam, *Sardonia* dicta, denominationem ſuam accepit. Haec ingeſta, juxta Dioſcoridem Lib. IV. Cap. 14., mentis alienationem, ut & labiorum contractionem, orisque rictum, quin & in genere tales producit convulſiones, quae riſum aliquantopere mentiuntur. Ejusmodi Riſus meminit etiam Bartholinus, *Anat. Reform.* L. II. Cap. III. p. 221. Confer & hanc in rem Williſium, in *Cerebri Anatome* Cap. XVII. p. 81. nec non Cap. XXVI. p. 141.

συμπαθείας) maxillarum, alioſque faciei muſculos facile convellere, Riſumque, *Sardonium* dictum, excitare valebunt. Ejusmodi Riſus, a vulnerato diaphragmate producti, mentionem etiam facere videtur *Hippocrates* (*f*): Τύχων ἐν τῇ πολιορκίῃ περὶ Δάτον, ἐπλήγη ὑπὸ καταπέλτου ἐς τὸ στῆθος. καὶ μετ' ὀλίγον, γέλως ἦν περὶ αὐτὸν θορυβώδης. ἐδόκεε δέ μοι ὁ ἰητρὸς ἐξαιρέων τὸ ξύλον, ἐγκαταλιπῶν τι τοῦ δόρατος, κατὰ τὸ διάφραγμα. Caeterum, magnam quoque diaphragmati ſenſibilitatem ineſſe innuit Idem (*g*): Διότι ἡ καρδίη, αἰσθάνεταί τε μάλιστα καὶ αἱ φρένες. τῆς μέντοι φρονήσιος οὐδετέρῳ μέτεστιν, ἀλλὰ πάντων τουτέων ὁ ἐγκέφαλος αἴτιός ἐστιν.

§. LXII. *Cerebrum* arctiſſimum habere cum *Ventriculo* commercium, inde clariſſimum in modum patet, quod cerebro male affecto (§. 60.), turbentur etiam functiones naturales, quae a ventriculi vigore maxime pendent. Similiter ventriculus, quocumque tandem graviori malo debilitatus, in mali ſocietatem, ex eadem ſympathia, cerebrum trahit: ex ſolo enim affecto ventriculo, ejusve orificio, tota interdum facultas animalis, vitaliſque, languere poteſt; prouti id patet e Delirio, Convulſionibus, Animi Deliquio, Vertigine, Cephalalgia, aliisve malis, non raro hac de cauſa productis. Ut adeo rectiſſime *Helmontius* obſervaverit, *majorem* ſpectari *authoritatem ſtomachi in caput, quam capitis in ſtomachum: ſiquidem ſopor* (verba ſunt *Helmontii* (*h*)), *ſomnus, vigilia, deliria, & quaecunque ſymptomata capiti ſolent tribui, remediis ſtomachicis, non cephalicis, abolentur.* Hinc etiam generalius dixit *Hippocrates* (*i*): *Quaecunque autem paſſiones in capite fiunt, ex ſtomacho oriuntur.* Jam vero hic Cerebri cum Ventriculo conſenſus egregie ilico ſe manifeſtat, & in actum deducitur, ab ingeſtis hete-

(*f*) Sect. VII. Lib. V. *De Morb. vulg.* Ægr. 94. p. 1161.

(*g*) Sect. III. Lib. *de Morbo Sacro* p. 310. lin. 11. Per τὸ φρένες etenim hic loci *Septum Transverſum* videtur intelligere Hippocrates, licet loco ſuperius citato eandem partem per τὸ διάφραγμα deſignet. Uti & aliis in locis his duobus vocabulis promiſcue utitur ad *ſeptum* deſignandum. Attamen prioris vocis in hoc ſenſu uſum improbare videtur, quum dicit. Αἱ δὲ φρένες ἄλλως ὄνομα ἔχουσι τῇ τύχῃ κεκτημένον, καὶ τῷ νόμῳ, τῷ δὲ ὄντι οὐκ, οὐδὲ τῇ φύσει. Vide ſis Sect. III. Lib. *de Morbo Sacro* p. 309. lin. 51. Conferri etiam meretur hanc in rem Foëſii *Oecon. Hippocr.* in V. Διάφραγμα, & Φρένες.

(*h*) In Cap. cui titulus: *Jus Duumviratus* p. 188. N°. 26.

(*i*) In Lib. *de Hominis Structura* §. 4.

terogeneis, venenis nimirum, aliisve rebus noxiis, uti & a bile corrupta, aliisve ſordibus, ventriculum obſidentibus, nec non e vulneribus ventriculo inflictis. Ex hoc adeoque conſenſu ratio etiam potiſſimum eſt deducenda morborum ſympathicorum, encephalon inprimis in infantibus afficientium, licet cauſa materialis in ventriculo ſedem ſuam fixerit. Quum enim tenelli hi ſyſtemate nervoſo valde debili & ſenſibili ſint inſtructi, idcirco conſenſus hic quam facillime in infantibus in actum deducitur, prouti id teſtantur Epilepſiae, Vigiliae, Inſomnia, aliaeque capitis nervorumque affectiones, quibus tenella haec aetas praeprimis eſt obnoxia. Horum enim malorum fontem & radicem, licet in encephalo & familia nervoſa vires ſuas exſerat, in ventriculo tamen & inteſtinis utplurimum latere, facile cuivis patebit, qui duntaxat conſideraverit, acrimoniam acidam & vermes, in ventriculo inteſtinisque hospitantes, cauſam utplurimum procatarcticam exiſtere hujus conſenſionis.

§. LXIII. *Ventriculus*, ac *Os* ejus *ſuperius*, praeterea quoque commercium exercent arctiſſimum cum *plurimis aliis corporis partibus*, uti conſtat e morbis, mediante iſta conſenſione, productis (*k*). Nam e late patenti ejus conſortio cum aliis partibus & organis, ratio potiſſimum deducenda eſt, cur illa, malis infeſtata, ventriculum, prae caeteris, in affectionum ſuarum *συνλμωρείαν* quam ſaepiſſime trahant: atque inde pariter liquet, cur non tantum cerebrum male affectum Nauſeam, Vomitumque, producat (§. 60.), ſed &, cur haec ſymptomata ſaepiſſime etiam oriri deprehendamus ab affecto *Hepate*, *Diaphragmate*, *Liene*, *Meſenterio*, *Renibus*, *Veſica*, *Utero*; quinimo omnibus *viſceribus abdominalibus*: ſpasmi etenim, & irritationes, in partibus hiſce nervoſis excitatae, mediante nervorum communione, membranarumque continuatione, ventriculum quam facillime in conſenſum trahere, adeoque & ſymptomata, ipſi propria, producere valebunt. Hinc quippe intelligimus, quare Doloribus Iliacis & Colicis vomitum ſupervenire toties obſervent Practici. Praeterea manifeſtum *Ventriculi* con-

(*k*) Latiſſimum Ventriculi, in alias partes, imperium, ligato ſermone eleganter praedicavit Q. Serenus Samonicus, Lib. *de Medicina*, in Cap. quod *Digeſtioni & Stomacho medendo* inſervit, p. 10. (Ed. Keuchen.).

conſenſum cum *partibus membranaceis Oris*, evincunt nonnulla harum partium ſymptomata; in iis certe, qui jam jam ſunt vomituri, manifeſtum obſervare licet labii inferioris tremorem; & viciſſim, vellicatis aut irritatis oris interni membranis, in uvula v. g. vel palato extenſis, vomitum non raro ſuccedere videmus. Pariter etiam infantes dentientes, praeter Convulſiones, aliaque mala, Diarrhoeis etiam quam ſaepiſſime infeſtantur (*l*). Quae malorum communicatio itidem a membrana oris, continua ſerie ventriculum & inteſtina inveſtiente, facile deduci poteſt.

Mutuum quoque intercedit commercium *Ventriculum* inter ac *Pulmones*. Iſtam conſenſionem manifeſto evincunt phaenomena, ventriculi malis nonnunquam ſupervenientia. Hujus enim morboſa diatheſis non raro

Vitalesque vias & reſpiramina clauſit. (*m*)

Hinc rationem profluere docet *Williſius*, quod alimenta dyſpepta, in ſtomachum ingeſta, mox tuſſem inanem & valde pertinacem in Hypochondriacis excitent, licet pulmones mali ſatis immunes fuerint (*n*). Quinimo Reſpirationes difficiles, Aſthmata, Tuſſe illas convulſivas infantum (quas Belgico idiomate vocamus de Kink-hoeſt/), non ſemper mala eſſe idiopathica, ſed ventriculi vitio nonnunquam oriri docent Practici, atque illud etiam liquet ex egregiis effectibus, quos Emetica, aliave medicamina, quae ventriculo inprimis proſpiciunt, his in caſibus praeſtant. Apposite igitur, ut ſolet, monuit *Baglivius* (*o*). *Tuſſis infantum fere ſemper eſſe ſolet a ſtomacho cruditatibus ſcatente, quo in caſu ſemper ſtomacho reſpiciendum.* Quemadmodum autem ventriculi mala pulmones in conſenſum trahunt, ſic viciſſim Tuſſis, Vomitum producendo, nos commonet, pulmones affectiones ſuas cum ventriculo etiam poſſe communicare. Harum vero partium ſympathiam nervorum ope fieri obſervat *Williſius*, eandem a ſurculis nervoſis Paris Vagi, ſeu Octavi, deducens; hi quippe, uti in ventriculum, ſic in pulmones quoque diſtribuuntur (*p*). Inſignem

(*l*) Hippocr. Lib. III. *Aphor.* 25.

(*m*) Ovid. *Metamorph.* Lib. II. vſ. 828.

(*n*) *Nervor. Deſcript.* Cap. XXIV. p. 132.

(*o*) *Prax. Med.* L. I. Cap. IX. p. 114.

(*p*) Conf. Williſium *Loc. ſupra cit.*; nec non Euſtachii *Tab. Anatom.* XVIII. Fig. 2. (Ed. Albin.).

nem praeterea exiſtere conſenſum inter *Ventriculum* & *Cor*, merito concludimus ex affectibus harum partium, ſecum invicem communicatis (*q*). Is conſenſus inde magis adhuc eluceſcit, quod ſympathica Cordis mala, a Ventriculo, morbis infeſtato, producta, utplurimum ceſſare deprehendamus, quamprimum ventriculus, ſive remediis ſtomachicis, ſive alia methodo, in priſtinam ſanitatem fuerit reſtitutus. Nec tantum propter *partium viciniam* (§. 30. N°. 2.), ſed & inprimis a *nervorum communione* (§. 30. N°. 1.), deduci poteſt horum viſcerum commercium; univerſi quippe cordis propemodum nervi (quemadmodum ventriculi) ab Intercoſtalibus oriuntur (*r*); ita ut non mirum ſit a dolore ventriculi, vitalem cordis facultatem maximopere interdum turbari. *Ventriculum* etiam ac *Renes* mutuum, idque ſatis inſigne, exercere commercium, patet e nauſea & vomitu, Nephriticis doloribus quam frequentiſſime accedente (*s*), nec non e Ventriculi malis cum Renibus communicatis. Late patentem praeterea *Ventriculi* cum *Toto Corpore* conſenſum, paſſim obſervant rei Medicae Auctores; generaliori huic conſenſui mihi inniti videtur Celeberrimi *Heiſteri* obſervatio, qui vomitum haud raro inſtitutam cataractae operationem ſequi indicat, illudque ſymptoma itidem a nervorum quadam irritatione produci exiſtimat (*t*). Haec autem ventriculi cum plurimis aliis partibus, etiam diſſitis, ſympathia, copioſius poſſet deduci, niſi viderem ad finem properandum.

§. LXIV. Ventriculi ſympathiam cum univerſo fere corpore per *operis ſocietatem* explicari, neceſſe non eſt. Mihi certe petenda videtur ventriculi ſenſibilitas, ejusque cum reliquo corpore conſenſio, a magna nervorum copia, ac ramificationibus nervoſis, quas haec pars adipiſcitur praecipue e Pari Nervorum Octavo & Intercoſtali (*u*); quum enim ambo haec Nervorum Paria e cerebro

(*q*) Adi rurſus Williſii Lib. *de Febribus* Cap. X. p. 124. *Cerebri Anatome* Cap. XXIV. p. 133. Cap. XXVI. p. 141.

(*r*) Conſulas Euſtachii *Tab. cit.*

(*s*) Adi Cl. Hoffman. *Med. Rat.* T. IV. Part. I. Sect. II. Cap. VIII. ut & Swietenum *in Comment.* T. II. p. 258. 262.

(*t*) *Inſtitut. Chirurg.* T. I. Part. II. Sect. II. Cap. 55. p. 610.

(*u*) De Nervis, quos ventriculus accipit, conferri merentur *Praelect. Boerh. in Inſt.* T. I. p. 263. §. 77. & ad h. l. Halleri N^a. 17. ut & Williſius *de Medicament. Operat.* Cap. I. p. 13. & alibi paſſim.

bro in ventriculum usque continuentur, nec non ramos ſuos ad univerſa propemodum abdominis, quin & ad nonnulla thoracis, viſcera, exporrigant, facile patet, cur ventriculus non tantum ſenſu acutiſſimo ſit praeditus, ſed &, cur cum omnibus hiſce visceribus *actionum & paſſionum commercium* poſſit exercere. Atque huic viſcerum abdominalium, & ventriculi, conſenſioni favere etiam videtur membranarum continuatio. Conſtat enim e corporis Anatome, univerſa propemodum viſcera abdominalia una, eademque, tunica exteriore eſſe praedita.

§. LXV. Quantumvis ventriculus, late ſumtus, maximopere dominetur per totum corpus, majus tamen adhuc imperium, & affectiones ſuas cum aliis partibus communicandi poteſtas, viget in ſpeciali quadam ventriculi parte, *Ore* ſcilicet ejus *ſiniſtro*, quod *Stomachus* etiam, & Καρδία, Veteribus dicebatur, quia pars haecce idiopathice affecta, cum corde ipſo mala ſua quam facillime communicat, uti teſtantur, Animi Deliquia, Syncope, aliaque ſymptomata, Cardiacis ſimilia, a morboſa hujus ventriculi oris conſtitutione producta, monente *Galeno*; qui (v) τὸ στόμα τῆς κοιλίας, inquit, οἱ παλαιοὶ καρδίαν ὠνόμαζον, ἀφ᾽ ὧν ἐπιφέρει συμπτωμάτων, ὥς φασιν, οὕτω προσαγορεύσαντες· οὐ γὰρ μόνον ὡς καρδιακαῖς συγκοπαῖς, οὕτω καὶ στομαχικαῖς ἁλίσκονταί τινες, ἀλλὰ καὶ σπασμοῖς, καὶ κάροις, ἐπιληψίαις τε καὶ μελαγχολίαις, ἤδη δὲ καὶ τοῖς τῶν ὑποχεομένων συμπτώμασιν, ὡς ἐν τῷ περὶ τῶν ὀφθαλμῶν λόγῳ πρόσθεν εἴρηται. καὶ ταῦτα πάντα συμπασχόντων αὐτῷ γίνεται μορίων ἑτέρων. Harum autem partium ſympathia, uti propter *ſitus viciniam* (§. 30. N°. 2.), ſic praecipue tamen ob ramificationes, quas cor aeque, ac pars haec ventriculi, ab Octavi Paris Nervo accipit, in actum deduci poteſt (*conf.* §. 63. 64.). Praeterea etiam e ramis copioſiſſimis, qui in hanc partem e nervo inprimis intercoſtali, derivantur, facile deduci poteſt ratio, quare quaevis acrimoniae, circa hunc locum collectae, plexus hos nervoſos irritando, totum humanitatis principium nonnunquam turbare valeant. Atque eadem haec nervorum, e cerebro ad os hoc ventriculi propagatorum, copia & magnitudo, viciſſim cauſa eſt, ob quam, affe-

(v) De *Loc. affect.* Lib. V. Cap. 6. (Ed. Charter.) T. VII. p. 492. c. Confer & Bartholini *Anat. Reform.* Lib. I. Cap. IX. p. 50. ut & Foëſii *Oeconom. Hipp.* in Voce Καρδιαλγία.

fecto hoc viſcere, καρδία ilico in malorum conſortium trahatur, prouti ex hac ſympathia producta Cardialgia, aliaque mala huic parti propria, evidentiſſime docent. E dictis igitur merito concludere licet, maximam in conſentiendo efficaciam, qua donatum hoc ventriculi orificium, cum plurimis aliis corporis partibus mutuam exercet ſocietatem, a nervis unice eſſe deducendam; horum enim ope tam arcte, cum toto etiam corpore, conſpirat, ut cordis ſcrobiculo, manu vel inſtrumento, violentius percuſſo, graviſſima ſaepe nata ſymptomata, quin mortem repentinam ſubſequutam, obſervaverit Summus *Hoffmannus* (*w*). Quam ſortem quoque, levi hac de cauſa, ſtudioſo cuidam, nec non aurigae, pugione circa os ſtomachi transfoſſo, obtigiſſe, notat *Helmontius* (*x*). Alias conſenſionum ſpecies, cujus multa, & admiranda ſatis, exempla paſſim apud ſcriptores Medicos obvia ſunt, hic non recenſebo (*y*). Caeterum, e Veteribus nonnulli, orificium hoc ventriculi male mulctari videntes in hominibus Venere exhauſtis, ibidem ſedem eſſe libidinis Venereae, crediderunt (*z*). Quae eadem hujus orificii ſenſibilitas, ac inſigne cum aliis partibus commercium, *Helmontium* induxiſſe videtur, ut ipſam animae ſedem, ac vitae principium, in hac ventriculi parte collocaverit (*a*).

§. LXVI. Inter *Renes* quoque, & *multas alias partes*, maximam vigere ſympathiam notiſſimum eſt. Renum quippe mala non tantum, ventriculum in conſenſum trahendo, nauſeam vomitumque excitare valent (prouti jam (§. 63.) dixi), ſed & longiſſime diſſitas

—— —— *illaeſas vitiatis addere partes.* (*b*)

non raro ſolent. Stricturas autem Cardialgicas, Vomitus, Ructus, Nauſeas, Dolores Colicos, & hujus generis alia, illi non tanquam mira aut inſueta Nephritidis conſiderabunt ſymptomata, qui

(*w*) *Med. Rat.* T. IV. Part. II. Sect. II. Cap. I.

(*x*) In Cap. cui titulus: *Sedes Animae:* p. 177. N°. 4.

(*y*) Exempla talia collegit Kaauius *Lib. ſupra cit.* §. 348. p. 279.

(*z*) Haller. *Praelect. Boerh. in Inſtit.* T. V. Part. II. p. 178. §. 673.

(*a*) Conf. Joh. Bapt. Helmont *Cap. cit.* p. 177. N°. 7. p. 179. N°. 32.

(*b*) Ovid. *Metamorph.* Lib. II. vſ. 826.

qui Plexum Renalem ex ipſo Octavo & Intercoſtali nervorum pari procedere, & cum Plexu Meſenterico & Inteſtinorum connecti, noverint. Sola quippe mechanica irritatio per Calculum Renalem in Stomacho, Meſenterio, Inteſtinis, aliisve partibus nervoſis, excitata, unice his morbis producendis par erit. Pari quoque ratione Hemicraniam, Dolorem lumborum, Retractionem teſticuli, Stuporem crurum e directo (νάρκην μηροῦ τοῦ κατ' ἴξιν vocat *Hippocrates* (*c*)), Calculo Renali afflictos miſerrime interdum excruciantes, partium nervoſarum ac membranacearum irritationi, atque inde in actum deductae conſenſioni, adſcribenda eſſe exiſtimo. Quam dira autem interdum produci queant ſymptomata a ſolo Calculo Renali, per conſenſum, cum univerſis propemodum corporis partibus communicata, egregie oſtendit Doctiſſimus *Baglivius* in hiſtoria mulieris, e Calculo, in rene dextro haerente, mortuae (*d*). Caeterum, tam acer eſt & vehemens, e Calculo Renali, doloris ſenſus, ut ſuperbam Stoicorum, in dolore perferendo, conſtantiam expugnaverit. Unum e multis ſufficiet exemplum, quod *Cicero* ſuppeditabit (*e*), qui, *Heracleotes*, inquit, *Dionyſius*, *cum a Zenone fortis eſſe didiciſſet*, *a dolore deductus eſt*, *nam cum ex renibus laboraret*, *ipſo in ejulatu clamitabat*, *falſa eſſe illa*, *quae antea de dolore ipſe ſenſiſſet.*

§. LXVII. *Teſtes* quoque cum *pluribus aliis corporis partibus* magnum exercere commercium, plurima nos docent phaenomena, non adeo quidem in ſtatu ſano obſervanda, ſed in harum partium affectionibus ſe inprimis manifeſtantia. Dantur exempla, quibus liquet, Convulſiones & Tetanos a compreſſis vel laeſis teſtibus fuiſſe productos; quinimo, hac de cauſa, maxillae inferioris convulſionem accidiſſe (*f*). Haec autem Teſticulorum ſenſibilitas, & cum aliis partibus nervoſis conſentiendi poteſtas, a nervis (quos praecipue accipiunt e Reti nervoſo Abdominali, nec non a Pari XXI Spinali) potiſſimum pendet. Sunt tamen & alii effectus, per teſtium affectiones producti, quorum cauſa nervis vix poſſit at-

(*c*) Sect. VII. Lib. VI. *de Morb. vulg.* Sect. I. §. 5. p. 1164.

(*d*) Diſſert. I. *De Anatome Fibrarum & de Morbis ſolidorum*, p. 419.

(*e*) *Tuſcul. Quaeſt.* Lib II. Cap. 60.

(*f*) Conf. Haller. *Lib. cit.* T. V. Part. I. §. 646. p. 325. N°. c.

attribui. Teſtibus exciſis, decidit, quae aderat, barba, ſonus vocis aſperior fit foemininus, propenſiones etiam mentis mutari videntur. Unde eleganter & feſtive *Claudianus* de Eutropio Eunucho (*g*):

Ambiguus vitae jacuit, penitusque ſupremum
In cerebrum ſecti traxerunt frigora nervi.

Corporis autem & animae, ut ita dicam, mutationem, quae pubertatis tempore in maribus accidit, Veterum nonnulli adſcripſerunt *calori nativo*, tum temporis, teſtium ope, amplificato & aucto. Etſi autem, cum *Helmontio*, haec phaenomena adſcripſerimus *actioni regiminis*, qua teſtes inſtructi ſunt (*h*), vel ſic tamen modum ignoramus, quo haec actio talia effecta producere valeat. *Williſius* hanc totius habitus virilis mutationem, caſtratis accidere autumat a *defectu fermenti ſeminalis* (*i*); non adeo male, ac prima facie videri poſſit: niſi quis, in locum *fermenti ſeminalis*, ſubſtitui velit *defectum ſeminis in ſanguinem reſorpti.* In ſtatu enim ſano ſubtiliſſima pars humoris genitalis, per vaſa reſorbentia, in humorum circuitum reduci, ſanguinique jugiter reaffundi videtur. Reſorptus hic humor videtur eſſe cauſa, quod mares, ex ephebis excedentes, vocem acquirant gravem ac virilem, denſa in mento decorentur pilorum ſylva, imo & mentis cogitationes hoc tempore acquirant viro dignas (*k*). Vocis mutationem, accedente pubertate, nonnulli fieri putant ob ſocietatem vocalium, genitaliumque, membrorum. Nobilis enim vulgo ſtatuitur conſenſus inter *Pectus*, *Mammas*, *Genituram*, ac *Vocem.* Unde Tuſſis, & Teſtium Tumor, ſe invicem nonnunquam excipiunt, illam etenim Teſtium oborto Tumore, & viciſſim Teſticulorum Tumorem, accedente Tuſſi, evaneſcere, obſervant Practici: *Hippocrates* (*l*) ὄρχις, inquit, οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόμνημα κοινωνίης στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. In eandem mentem alibi (*m*): ἰσχνοφωνίην κιρσὸς λύει, ἐς τὸ ἀριστερὸν καὶ τὸν δεξιὸν ὄρχιν, ἄνευ τοῦ ἑτέρου οὐχ οἷόν τε λύεσθαι. *Teſtium* cum *Corde* conſenſio-

(*g*) In *Eutropium* Lib. I. vſ. 52.

(*h*) In Cap. cui titulus: *Ignota Actio. Regiminis*, p. 208. N°. 42.

(*i*) *De Ferment.* Cap. V. p. 19. *De Febribus* Cap. II. p. 75.

(*k*) Conf. *Boerh. Praelect. in Inſt.* T. V. Part. I. p. 328. §. 647.

(*l*) Sect. VII. Lib. II. *De Morb. vulg.* Sect. 1. §. 1. p. 999.

(*m*) *Loc. cit.* Sect. 5. p. 1040.

ſionem confirmant Epithemata Cordialia, in virium defectu & Haemorrhagia, teſtibus applicata; ea enim aeque juvare ſcribit *Bartholinus* (*n*), ac ſi ipſi Cordi, vel parti affectae, admoverentur.

§. LXVIII. Eſt & alia corporis humani pars, foemineo ſexui tantum propria, quae inſigni gaudet ſenſibilitate: *Uterus* ſcilicet, fertilis ille luxuriantis Naturae campus; uti enim illum totius corporis aegritudines, leviſſima de cauſa, in conſortium attrahunt; ſic viciſſim, eodem conſenſionis jure, mala ſua, per univerſum corpus, quam facillime diſſeminare poteſt, quamobrem *Hippocrates* (*o*) τὰ γυναικεῖα, inquit, νοσεύματα καλεόμενα αἱ ὑστέραι πάντων τῶν νοσημάτων αἴτιαι εἰσίν. Ut adeo hinc facile repeti poſſit ratio, cur Idem, ex ſola uteri conditione, de toto corpore judicium tulerit, uti ex ejus ſcriptis paſſim liquet (*conf.* §. 47.). Sic quatenus Uterus, quacumque de cauſa male affectus, *Caput & ſyſtema nervoſum* in conſenſionem trahit, Cephalalgias, Vertigines, Melancholias, Epilepſias, & Furores Uterinos excitare poteſt. Quando ejus mala *Ventriculum* praeprimis infeſtaverint, Picas, Malacias, Nauſeas, Vomitus, Cardialgias, aliaque Ventriculi mala producit. Quinimo vomitum & nauſeam, quae ſub primis graviditatis menſibus fiunt, non adeo exoriri e ſordibus ventriculum obſidentibus, ſed potius mediante conſenſu, qui eundem inter ac Uterum viget, Auctor eſt Expertiſſimus *Mauriceau* (*p*). Porro, ſi Uterus morboſus *Cor* infeſtaverit, vitae munia inprimis turbantur, excitatis Cordis Palpitationibus, Anxietatibus, aliisque. Cum *Inteſtinis* quoque, & *Veſica*, conſentire *Uterum*, propter *viciniam* (§. 30.) aeque, quam *nervos communes* (*ibid.*), nos docet Stranguria, in mulieribus ex Uteri inflammationibus ſaepius oborta (*q*). At vero his omnibus nobilius, *Uterum* inter ac *Mammas*, ſe manifeſtat commercium, ut & actionum συμπραξις omnino neceſſaria, quoniam ambo haec organa, generationi aeque, ac nutritioni prolis fuerant deſtinata. Ex hoc conſenſu ratio deducenda, ob quam, menſibus per graviditatem, a-

(*n*) *Anat. Reform.* Lib. I. Cap. XXII. p. 140.

(*o*) Sect. IV. Lib. *De Locis in Homine*, p. 423. lin. 22.

(*p*) *Traité des Maladies des Femmes groſſes, & de celles, qui ſont accouchées.* Liv. I. Chap. 12.

(*q*) Hippocrat. Lib. V. *Aph.* 58.

aliave de cauſa obſtructis, ſanguinis impetum ſtatim verſus mammas ferri deprehendamus; contra vero, ſanguinis menſtrui fluxum nimium, revulſione verſus mammas facta, cohiberi poſſe docet *Hippocrates* (*r*).

§. LXIX. Non tantum partes hactenus enumeratae mutuum exercent commercium, ſed nulla propemodum pars totius eſt corporis, quae non quandam cum aliis habeat communionem, quemadmodum pluribus exemplis, in Libro ſuo *de Sympathia*, luculenter, ut ſolet, evicit Eruditiſſimus *Rega*. Singulas has partes conſentientes enumeraſſe, ſupervacaneum foret; ſed liceat hoc in loco indicaſſe conſenſionem inſignem, qua praecipuae corporis Glandulae inſtructae eſſe videntur, quae idcirco a nonnullis *Glandulae Communicantes* appellantur. Iſtud horum organorum commercium evidenter apparet e ſympathicis affectionibus, quas glandulae aliae morboſae nonnunquam producere valent. Novimus etenim ſcrophuloſas colli glandulas, nec non ſtrumas glandulae Thyroïdeae & Pancreatis, eadem mala in glandulis Meſaraicis plerumque etiam excitare (*s*). Uti autem Meſenterii glandulae, ab aliis, diſſitarum partium, glandulis non raro afficiuntur, ſic viciſſim eaedem, primario affectae, aliarum glandularum morbis cauſam praebent. Nuſpiam vero ſtrumas in corpore erupturas, niſi Meſenterium ſtrumoſum fuerit, (in cujus glandulis omnium ſtrumarum originem ſtatuit *Riolanus* (*t*) hujus opinionis Auctor), equidem non crediderim. In ſcirrhis calloſis praeterea, & mammarum cancro, glandulas ſubaxillares tumere, & in cancros occultos degenerare, Auctor eſt *Swietenus* (*u*). Eaedem quoque ſubaxillares, nec non inguinales glandulae, ſaepe inflammantur & tument a laeſione nervorum, quorum ramos accipiunt. Glandularum illud, nervorumque, commercium, egregie firmat Clariſſimus *Swietenus*, ubi ſaepius ſe vidiſſe ſcribit, in Paronychia ſubito ſub axilla tumorem ortum, licet in extremo digiti apice haereret malum (*v*). Inde pariter deducenda eſt ratio Vertiginis, affe-

(*r*) Vide *Lib. cit. Aph.* 50. Cum quo conferri poterunt quae protuli ad §. 40.

(*s*) Conf. Swieteni *Commentar.* T. II. p. 891. nec non Boerh. *Praelect.* *Acad.* T. I. p. 603. §. 128.

(*t*) Oper. Sect. III. Tract. I. Cap. 14. p. 486.

(*u*) In *Commentar. L. c.* p. 887.

(*v*) In *Comment.* T. I. p. 728.

fectionumque convulſivarum, ut & ſcrophularum cervicis, quibus puellam quandam, a compreſſione glandularum inguinalium, infeſtatam fuiſſe narrat *Williſius* (*w*). His etenim, ut & aliis ſympathicis glandularum affectionibus, nervos potiſſimum cauſam praebere, vero videtur ſimillimum, idque eo magis, quoniam nervis ligatis, glandularum, ad quas tendunt, tonum & uſum aboleri deprehendimus.

§. LXX. Ad eandem glandularum conſenſionem, jure quodam, referri poſſe videtur ſympathia, quae *Cutem* inter ac *Inteſtina* obtinet, qua fit, ut harum partium affectiones frequenter commutantur inter ſe invicem, prout apparet in plurimis morbis cutaneis, uti ſunt Scabies, Impetigines, aliaeve foedae maculae; hae enim frequenter in alvi morbos, ac viciſſim, inteſtinorum mala in affectiones cutaneas migrare conſueverunt. Quin eadem haec ſympathia utiliſſimam medendis his malis ſubminiſtrat indicationem, qua inprimis adlaborandum eſt, ut materies morbifica ab exteriore corporis ſuperficie retropulſa, in totum e corpore amoveatur. Huic indicationi prae caeteris ſatisfaciunt remedia Cathartica; quam enim his obtinemus medelam, non neglectis tamen aliis curandi intentionibus, affectionibus cutaneis radicitus curandis maximopere conferre, Practicis notum eſt. Viciſſim quoque Diarrhoeae, aliave Inteſtinorum mala, quin & ipſe vomitus, in nonnullis caſibus, ſublatis folliculorum glanduloſorum ſpasmis, non raro profligantur. Huic ſcopo Diaphoretica pulchre inſervire novimus. Caeterum, *Inteſtinorum* ſympathiam cum *nervoſis & tendinoſis extremitatum partibus*, evincunt atrocia ventris tormina, retropulſae materiae arthriticae vel podagricae nonnunquam ſupervenientia, quae utplurimum ceſſare ſolent, quamprimum materies haecce ad partes extremas & artus fuerit transmiſſa. Hanc autem conſenſionem innotuiſſe *Hippocrati* manifeſtum eſt: nam, ᾧ τὸ ἔντερον, inquit (*x*), ἐπὶ δεξιᾷ ἀρθριτικὸς ἐγένετο, ἦν ἡσυχώτερος. ἐπεὶ δὲ τούτῳ ἰητρεύθη, ἐπιπονώτερος. Atque haec dicta ſunto de partibus conſentientibus in ſtatu morboſo.

§. LXXI.

(*w*) *Patholog.* Cap. XIV. p. 313. *vulg.* Sect. 4. §. 3. p. 1179.
(*x*) Sect. VII. Lib. VI. *de Morb.*

§. LXXI. Tametſi conſenſiones partium, hoc in Capite explicitae, conſtantem in corpore humano ſervant ordinem (§. 16.), vel ſic tamen actio ſympathiae in ſe ſpectata, pro variis rerum circumſtantiis variare nonnihil ſolet. Ne hanc partem prorſus intactam videar praetermiſiſſe, pauca mihi liceat ea de re dixiſſe. Multifariam ſcilicet variat actio conſenſionis, &

Primum quidem Ratione *Conſuetudinis*. Inadſueta ſenſus noſtros valide adficiunt, eadem autem illa organis ſentientibus tandem adeo redduntur familiaria, nullam ut amplius iisdem mutationem inducant. Idem conſenſionis actioni applicari poteſt; nervi quippe, varias ob cauſas irritati, mala plurima ſympathica excitare valent, ſed hae cauſae ſenſim in tantum debilitantur, ut eandem nervorum irritationem, adeoque nec dicta mala ſympathica amplius excitent. Hinc petenda videtur ratio, cur motui inſolito, a navigatione, vectione, vel actione in gyrum producto, tandem corpora ſic adſueſcant, ut nulla amplius ſymptomata inde producantur.

Deinde variat actio conſenſionis Ratione *Idioſyncraſiae*. Pro peculiari etenim uniuscujusque temperie, nec non propria Senſorii Communis & ſyſtematis nervoſi, in diverſis hominibus, diſpoſitione, evenire videtur, ut nonnullorum corpora talibus de cauſis in conſenſum trahantur, a quibus alii nullam omnino mutationem percipiunt. Inde rationem repetendam eſſe autumo, cur odorifera nonnullarum rerum effluvia, quae mire nonnullos reficiunt, aliis prorſus accidant moleſta, ita ut haec, tenerrimos olfactus nervos ferientia, totum ſyſtema nerveum turbent, quin &, motum animalem in conſenſum trahendo, ipſam Lipothymiam excitent. Haec ſymptomata a grato Roſarum & Pomorum odore experiuntur nonnulli. Sic & titillationes, in tenerrimis corporis partibus inſtitutae, nullam, vel levem ſatis, multis adferunt noxam: hae contra in aliis totum Hominem Nervoſum in ſympathiam trahunt, dirasque convulſiones aliquando producunt. Quinimo tam inſignis eſt, obſervante *Sydenhamo* (*y*), in foeminis nonnullis Hyſtericis Idioſyncraſia, ut graveolentia illa medicamina, quae inordinatum ſpirituum, per totius corporis nervos, motum componere, adeoque

(*y*) In Diſſert. Epiſt. *De Paſſione Hyſterica*. p. 515.

etiam egregium huic morbo (conſenſionis omnino ope) adferre ſolent levamen, talibus contra peſſima inducant ſymtomata.

Tertio variat actio conſenſionis Ratione *Diverſorum Organorum.* Hoc reſpectu conſenſionis actionem differre pro partibus, quas quisque ſexus proprias habet & peculiares, non opus eſt ut explicem: huic autem differentiae poſitura organorum, in utroque ſexu, aliquid etiam facere videtur. Ita v. g. Stranguria, in viris per ſympathiam praecipue oritur, quando Inteſtinum Rectum inflammatum eſt; idem autem malum ſympathicum in ſexu ſequiore producitur, ſi Uteri quaedam inflammatio fuerit oborta. In his quippe veſica incumbit inteſtino recto, in illis vero cervici uteri adſidet, cui praeterea ligamentis latis adnectitur. Idem de Tenesmo verum eſt, nam haec affectio per ſympathiam in viris nonnunquam producitur, quando calculus ad urethrae orificium haeret, vel & quando Stranguria laborant. Foeminae vero hoc inteſtini morbo praecipue infeſtantur, quando uterus male fuerit affectus. Quum enim organum hoc genitale ligamentis latis Inteſtino Recto aeque, quam Veſicae & Urethrae, firmiter adnexum retinetur, hinc per ſympathiam, e *vaſorum nervorumque communione*, Veſicae & Inteſtini Recti morbos pro lubitu producere valebit.

Tandem variat quodammodo actio conſenſionis Ratione *Magnitudinis Morbi.* Licet enim partes quaedam mutuam poſſint exercere conſenſionem, non tamen haec conſenſio mediante quavis affectione in actum deducitur; morbus enim ſive affectio praeternaturalis ſatis magna requiritur, ut inde actuoſa poſſit fieri partium ſympathia. Ita v. g. quamvis Hepar mutuo commercii foedere cum Ventriculo jungatur, non tamen viſcus iſtud, leviter inflammatum, ſingultum, vomitumque ſympathicum producet, ſed tum tantummodo, quando ſummo infeſtatum fuerit inflammationis gradu. Unum exemplum ſatis erit, e quo reliqua aeſtimari poſſint.

§. LXXII. Videri potero ſcopo meo ſatisfeciſſe, poſtquam tandem paucis tradidero, quaenam corpora potiſſimum pateant ſympathiae, quaenam minus, atque unde ratio poſſit deduci, quae hominum partes vel magis, vel minus, aptas reddat ſympathiae. Hoc ut rite fiat; *Primum* indicare conabor, homines in ſtatu aeque naturali, quam praeternaturali, huic actioni eſſe obnoxios; &

prae-

praeterea, quinam homines, *in ſtatu naturali*, magis quam alii, quinam minus, ſint ad conſenſionem diſpoſiti. *Deinde* oſtenſurus, in quibusnam hominibus, in *ſtatu praeternaturali* poſitis, eadem haec ſympathia plus, in quibus imperium ſuum minus, exerceat.

§. LXXIII. Dipoſitio haec ad ſympathiam, in diverſis hominibus, pro varia corporis conſtitutione, ut & pro diverſa humorum ſpirituumque, craſi maximopere differre videtur. Quoniam autem in nervis praecipuam conſiſtere dixi conſenſionis cauſam (§. 31.); idcirco.

In ſtatu naturali ad conſenſionem proclives illos praecipue crediderim, qui corpora habent leviſſimis etiam ſtimulis irritanda, vel &, qui genere nervoſo inſtructi ſunt valde mobili & ſenſibili. In horum cenſum merito referri poſſunt

Primum, Utriusque ſexus homines in tenella aetate conſtituti, ut & Foeminae, inprimis juvenes, ac illae, quae vividioris ſunt indolis, & delicatioris educationis. Quo enim homines origini fuerint propiores, vel & laxioris & debilioris temperiei, eo magis valet imperium nervorum in eorum corporibus, eorumque affectionibus magis ſunt obnoxii, adeo ut ſi vel minima de cauſa Homo Nerveus afficiatur, tenera membra ſtatim conſentiant. In prima ſcilicet hac aetate, nec non in debilibus iſtis & laxis hominibus, uti vaſorum ſanguiferorum, ſic major quoque ſolet eſſe nervorum numerus. Hinc cauſa petenda cur infantes Convulſionibus, Epilepſiis, aliisve malis, ſyſtemati nervoſo propriis, tam frequenter, leviſſimis etiam de cauſis, infeſtentur: acidum quippe in Primis Viis haerens, dentitio difficilis, ventris tormina, contagium varioloſum & morbilloſum, dictis his malis producendis unice utplurimum ſufficiunt. Quinimo omnia quae ſenſuum organa paulo magis ſolito afficiunt, teneriorum foeminarum corpora non raro turbare, omnesque ejus partes in conſenſum trahere poſſe, nos docent ſpasmi, convulſiones, nec non dolores intolerabiles per totum corpus diſperſi, hac, aliisve de cauſis, frequenter in iis excitati.

Praeterea nonnulli e peculiari quadam idioſyncraſia, cujus vix, & ne vix quidem, poſſit reddi ratio, corporis partes habent admodum conſentientes (*conſ.* §. 71. N°. 2.).

Ad eandem autem hanc actionem *in ſtatu naturali* minus diſpoſiti in genere videntur illi omnes, qui vaſa, nervosque firmiores jam ſunt adepti.

His inprimis adnumerandi ſunt Viri aetate medii, quin & Viragines, corporis conſtitutione maribus non diſſimiles, praecipue vero Senes, quorum compages vaſorum nervorumque caeteris eſt rigidior & ſtrictior. Illorum quippe membra, magis robuſta, rarius acquirunt malum, ſed immutabilia plerumque manent a talibus cauſis, unde tota nervoſa infantum compages perturbaretur. Nam qui in his, leviſſima etiam de cauſa, in conſenſum trahitur motus animalis (quod e convulſionibus, tenellos hos quam frequentiſſime infeſtantibus, manifeſtum eſt,), in adultis rarius, iisdem de cauſis, perturbatur. Quin nonnullis, prae ſenio, nervos omni fere ſenſibilitate, atque adeo etiam conſentiendi virtute, deſtitutos eſſe, ſatis teſtatur imminuta viſus, auditus, aliorumque ſenſuum externorum, acies.

§. LXXIV. *In ſtatu praeternaturali* corpora valde ad conſenſionem diſpoſita habent, qui quidem malis nonnullis nervoſi generis ſunt obnoxii, prae caeteris autem Hypochondriaci & Hyſtericae. His etenim, ob ſpirituum ἀταξίαν, adeo irritabile eſt ſyſtema nervoſum, ut quam facillime, per nervorum conſenſum, functiones quaevis perverti, nec non ſpasmi & dolores excitari deprehendantur.

Praeterea partes in conſenſum valde proclives habere videntur, qui debiliori gaudent corporis conſtitutione, e morbis, ſeu ex praegreſſa nimia humorum evacuatione, ſeu alia quacumque de cauſa, contracta.

Caeterum, In *eodem hoc ſtatu* corporis partes ad conſentiendum minus diſpoſitas efficere inprimis valent affectiones illae, *quae ſenſus motusque liberum exercitium, quacumque tandem de cauſa, impediunt.* Tales, praeter caetera, ſunt omnes affectus, *ſoporoſi* dicti, uti Lethargus, Coma, Carus, Apoplexia, aliaque. Quin ipſa *Nervorum Rigiditas* amicam partium conſpirationem nonnunquam impedit; haec enim, ſicut in *ſtatu naturali*, neceſſarius eſt ſenectutis effectus, ſic & aliquando *praeternaturaliter* rigiditas talis, atque inde natus marasmus, quasdam corporis partes, vel nervos, ſenſuum organis deſtinatos, occupans, adeo delere poſſe ſenſus talis actionem, ut ad ideas rerum extra nos poſitarum ſuſcipiendas, & cum mente noſtra communicandas, prorſus tales nervi inepti evadant, plurima exempla, hic non recenſenda, docent evidentiſſime.

Sed

Sed haec quidem hactenus. Multo plura de hac materie dici potuerant, cujus nunc demum amplitudinem ſentio. Quandoquidem vero jam dudum videri poſſim limites Academicae Diſſertationis egreſſus, hic tandem deſino. Quod ſi Medicinae Studioſis, peritisque Hominibus, Specimen juvenile non prorſus displicuerit, ſic reputabo, tuliſſe me pretium operae luculentiſſimum.

F I N I S.

THESES.

I.

Probabilitatem habet maximam, conſenſum partium, proprie ſic dictum, a nervis pendere.

II.

Infantum Foeminarumque corpora teneriora multo magis patent conſenſioni, quam Adultorum Virorumque corpora.

III.

Vomitus, per ſympathiam productus, medicamentis Stomachicis ſolis non poteſt curari.

IV.

Quamvis Narcotica doloris ſenſum tollant, doloris tamen cauſa corpus plerumque deſtruere pergit.

V.

Pars nulla datur totius corporis, quae nervis aut poris careat.

VI.

Ex uniuscujusque Idioſyncraſia, ſua cuique ſpecialis eſt ſanitas.

VII.

Vitae genus, cui quis ſe adſueſecerit, licet pravum, non protinus in ſanum eſt commutandum, ſed ſenſim & lento gradu.

VIII.

Morbi incogniti incertam eſſe curationem ſtatuo.

HO-

HONORI ET MERITIS

PRAESTANTISSIMI

ET

DOCTISSIMI JUVENIS

PAULI JACOBI VALCKENAER,

CUM MEDICINAE DOCTOR CREARETUR.

Nuper in Aonios colles, tellure relicta,
　Raptus ab aligero, (mens niſi vana,) Deo.
Templa Patri Phoebo vidi Muſisque ſacrata,
　Sederat aurato Cynthius ipſe throno.
Ardebant radii divino vertice ſparſi,
　Ornabant longae candida colla comae.
Dumque chelyn digitis tentat, cinxere Sorores
　Patrem & feſtivum conſtituere chorum.
Ut vidi, obſtupui, trepidantia verba locutus;
　Haeſerat ambiguo lingua retenta metu:
Tantane Pieriſin ſemper ſunt gaudia, dixi,
　An forſan celebrant annua feſta Deae.
Una mihi tacta reſpondit talia dextra,
　(Et ſi non fallar Calliopea fuit.)

Otia fauſta quidem nobis aeternaque coeli
Rex dedit & levibus nos hilarare choris.
Nunc tamen inſolito, capiunt & gaudia Divos,
Laetitiae exultant pectora noſtra modo.
Unus alumnorum, cui ſemper noſtra fuerunt,
Et Medici curae maxima ſacra Dei.
Palladis & doctae germen VALCKNARIUS ingens
Curarum capiet praemia digna decus.
Nos juveni laetae meritos gratamur honores,
Dum citharam noſtris addit Apollo modis.
Aſpice, nam dedimus tibi, gaudia magna Dearum,
Attentaque novum percipe mente melos.
Calliope ſic fata, aut quae fuit illa Sororum,
Ad ſocias redit & jungit amica manum.
Cum cithara Phoebus, voce incepere Camenae,
Et ſtupui, magis haec dulcis an illa foret.
Dumque canunt, Pindi circum juga cuncta virebant,
Tollebant tenerum gramina laeta caput.
Arboribusque novum decus accedebat opacis,
Vernabat Clario laurus amata Deo.
Quique Aganippeis multus ſpatiatur in undis,
Reddidit arguto gutture carmen, olor.
Inſiliens leviter ramo Philomela fluenti
Dulciloqua cantum voce ſecuta fuit.
Talia Caſtalides Phoebo moderante canebant,
Et puto divinos me meminiſſe ſonos.
Creſce, ita ſuſcipiunt, decus ô venerabile noſtrum,
Creſce, ô doctrinae ſuavis alumne Deae.
Creſce, juventutis digniſſime floſcule doctae
Addicte Aonio PAULE & amate choro.

Quem

Quem puerum ambroſia pavere, & blanda rigarunt
Nectareo ternae labra liquore Deae.
Nos miſſis choreis vario cunabula flore
Sparſimus & ſucco membra tenella ſacro.
Venerat aequali paſſu comitata Minerva,
Plurimaque infanti munera larga dedit.
Fronteque laetitiam dixit teſtata ſerena,
Hic mihi cum Claro Fratre dicatus erit.
Ingenium creſcens finxit Tritonia Virgo,
In ſua Te ducens interiora ſacra.
Hiſtoriam Clio non infima gloria Pindi
Priſcorum docuit factaque mente ſequi.
Uranie ſolis curſus lunaeque recurſus
Monſtravit gnara ſideraque alta manu.
Doctrina ingenuum varia donavimus omnes
Pectus, & os cyathis, Caſtalis unda, tuis.
Sed ſibi devotum prima gratumque juventa
Inſtituit propria Phoebus in arte Pater.
Humani retegens compagem corporis aptam,
Utque habeant uſum ſingula membra ſuum.
Herbarumque docens vires, ſive herba nocebit
Seu valeat morbos pellere laeta graves.
Quaeque magis poterunt, (docuit namque omnia Phoebus,)
Perfectum Medica reddere in arte virum.
Tu ſtudia, exemplum pubi memorabile doctae,
Aſſidue intentus nocte dieque colis.
Dumque alii gaudent ſe delectare juventa,
Nil valet a libris Te revocare Tuis.
Sed veluti artifices Siculae ſub montibus Hyblae
Floribus e variis mella operantur apes.

Sic

Sic Tibi doctrinae gazas JACOBE recondis,
Et mella e vario fonte petita legis.
Nunc nonnulla etiam, primos collecta per annos,
In lucem e multis edere pauca paras.
In quibus ingenio certat doctrina venuſto,
Digna ea grandaevo ſunt monumenta ſene.
Sed ſimul accipies docto ſudore coronam
Promeritam, & ſtudiis ultima vota Tuis.
Temporaque aeterna lauru Tua cinget Apollo,
Dona Deus natis nam dare tanta ſolet.
Divaque Doctrinae magnos Tibi tradet honores,
Ibimus in laudes nos quoque ſaepe Tuas.
Conſpicuum merito Te LEIDA videre decore,
Gaudet & eximiis annumerare viris.
FRISIA terra ſibi carum reddi optat alumnum,
Ut juvet aegrotos, qua valet arte, ſuos.
Creſce decus noſtrum, poſt mortem fama manebit,
Et Tibi cum Claro Fratre perennis honos.
Sic cecinere Deae, nutuque probabat Apollo;
Et vidi in propriam me rediiſſe domum.
Ipſe etiam verſu teſtari magna parabam
Gaudia, & Aoniis Te decorare modis.
Mens abrepta lyra Phoebi, cantuque Sororum
Mellifluo, compos non fuit ipſa ſui.
Gratulor hos merito Tibi nunc accedere honores,
Et cupio faciem, care, videre Tuam.
Poſteritas, mihi crede, Deas mirabitur ipſas
Pegaſidas laudes concinuiſſe Tuas.

JOANNES PIERSON.